


DE

BELLO BURGUNDICO

A CAROLO AUDACE CONTRA ARCHIEPISCOPATUM COLONIENSEM SUSCEPTO A. 1474.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXII. M. FEBRUARII A. MDCCCLXI.
H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS AUGUSTUS HERMANNUS MARKGRAF
MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
HENR. PETER, PHIL. DR.
FRANC. LORTZING, PHIL. STUD.
FRID. STEINHAUSEN, PHIL. STUD.



BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

De fontibus hac in commentatione perscribenda adhibitis.

Quae de bello Burgundico narravimus partim ex aequalium scriptis et eorum, qui postea vixerunt deprompta sunt, partim ex documentis litterisque illo ipso tempore conscriptis. Quorum potissimum secutus testimonium litterarum manu scriptarum numero usus sum haud parvo. Quae primum inter Burgundiam et Austriam acta sunt usque ad conventum Trevirensem, ad haec, quae pertinent litterae, earum gravissimas plurimasque exhibet Chmel in monumentis Habsburgicis I, 1. Quae deinde inter imperatorem regemque Daniae et Albertum Brandenburgicum parata sint, docemur documentis ab Hoefler in „Fränkische Studien" (Archiv für österr. Gesch. VII.), de rebus vero Helveticis a Chmel l. c., I, 1. et 2., et a Zellweger: „Ueber die wahren Gründe des burgundischen Krieges" (Schweizerisches Archiv, 1847. V.), quod opus documentorum serie est illustratum. Ad controversias quae attinent Colonienses, documentis nituntur in „Archiv für Gesch. u. Statistik des (rhein.) Vaterlandes. Bonn. 1785." Tom. I, ubi exstat actorum ex parte copiosorum res inter archiepiscopum, capitulum, status archidioeceseos tractantium magnus numerus. Belli ipsius historiam ex Alberti marchionis litteris deprompsi in archivo Bambergensi servatis et principum Saxonicorum, quae in arch. Wimariensi exstant, deinde ex litteris ab urbe Coloniensi et archiepiscopo Trevirensi invicem missis, in archivo Confluentium servatis, denique praeter ea, quae Chmel l. c., I. 1. 2. 3. et Minutoli (das kaiserliche Buch des Markgrafen Albrecht Achill, Kurfürst Friedrich I. von Brandenburg, Anhang) tradiderunt, ex Zellwegeri opere supra citato. Litterarum quidem Saxonicarum pars a Müllero in Reichstagstheater unter Friedrich III., tom. II. tradita est, qui cum litteras neque omnes neque totas neque satis accuratas exhibuerit, ego documenta Wimariensia huc spectantia fere omnia descripsi vel excerpsi. Documenta vero Bambergensia Dr. Burkhardi v. d. archivarii Wimariensis animo benigno debeo, qui

quae ipse Bambergi descripserat, utenda mihi tradidit. Haec scripta et Wimariensia partim et Bambergensia plurimum valent neque ante Droysenium (Preussische Politik II.) ab ullo adhuc scriptore adhibita sunt. Qui idem vir dignissimus scripta duo haud parvi momenti ex archivo Dresdensi adhibenda mihi tradidit. Minoris autem momenti sunt notitiae ex archivo Confluentium et Bremensi a v. d. Dr. Beyer et Dr. Ehmck mihi missae.

Praeterea exstant varia documenta variis in operibus, quae singulatim nominare omitto.

Ex operibus aequalium scriptorum praeter Magnum Chronicon Belgicum (apud Pistorii Ss. rer. Germ. ed Francofurti anno 1548, III.) et „Cronica van der hilliger stat van Coellen" (Coloniae anno 1499), quorum utrumque ex parte chronico utitur archiepiscoporum Coloniensium nuper edito ab Eckertz in Annalen zur Gesch. des Niederrheins, 1855. II., modo commemorabo: „Chroniques de Jean Molinet ed. Buchon. Paris 1828. tome I." et „Reimchronik der Stadt Neuss zur Zeit der Belagerung durch Karl den Kühnen von Christianus Wierstraat, Stadtsecretarius, herausgeg. von E. van Groote (Coloniae anno 1855). Quorum ille res factaque exercitus Burgundici satis copiose narrat magnamque habet auctoritatem, quamquam Burgundionum gloriae illustrandae justo magis est studiosus. Wierstraat autem accuratissime et verissime Novesii obsidionem et quae intra urbem acciderunt versibus perscripsit. Doleo, quod carmen obsidionis Novesiensis a Rudolfo Langio, qui episcopum Monasteriensem comitatus est, compositum et anno 1486 Monasterii typis impressum accipere non potui [1]). De Helvetiorum consiliis maxime per Schillingium edocemur, (Burgundische Kriege, Bern 1743), quamvis opus caute adhibendum sit. De civitatibus vero Germaniae septentrionalis adeundus est Dettmar (Lübische Chronik, ed. Grautoff.). Cominaeus vero et Olivarius Marcanus non multa tradiderunt de hoc bello.

De ceteris fontibus conferantur, quae sub textu notavimus. —

Cum fieri hoc loco non possit, ut totam dissertationem prelo subjiciam, ea quibus ad partem hic editam satis intelligendam opus est, summatim modo praemittam.

---

[1]) Cujus viri scripta omnia interiisse videntur; nam Erhardus, qui plura de ejus vita scripsit, se nulla vidisse fatetur.

Anno 1463 cum Theodoricus archiepiscopus Coloniensis moreretur, res pecuniariae archiepiscopatus maxime erant turbatae. Ut enim magnos sumptus compararet, quibus ad politica ejus studia opus erat, bonorum et reditus maximam partem oppigneraverat. Quo factum est, ut capitulum et status ad opes auctoritatemque pervenirent, quae ut coufirmarent capitulum Rupertum ducem Bavariae elegit archiepiscopum, qui infirmus homo neque ulla praeditus ambitione putabatur. Sed mox postquam dignitatem adiit, fieri non posse intellexit, ut nimis exiguo reditu sibi relicto curiae sumptus ne hos quidem tenues sustineret, et cum possessoribus bonorum oppigneratorum persuadere non posset, ut de illis tradendis cum ipso paciscerentur, vi iis potiri temptavit. Quam ob rem saepius auxilium a fratre Friderico comite Palatino petivit; is tamen paene omnibus bonis expugnatis, adeo per totum archiepiscopatum animos in Rupertum incitavit, ut semotis copiis Palatinis adversariis resistere non posset. Ac papa et imperator partibus adversariorum faventes Ruperto mandarunt, ut redditione omnium bonorum eorum animos pacifice cunciliaret; quod non factum est. Tandem vere anni 1473 capitulum, nobiles, milites urbesque quatuor cum convenissent, pronuntiarunt, Rupertum archiepiscopatui administrando non sufficere et Hermannum landgravium Hassiae, praepositum apud Scti Gereonis, gubernatorem et protectorem dioeceseos elegerunt. Ruperto igitur imperatore genti Palatinae inimico, cum frater Fridericus auxilium praestare nequiret, nulla remanebat spes, nisi Carolum Audacem, ducem Burgundiae, qui illo ipso tempore Gelria occupata archiepiscopatui vicinus factus est, ipsi esse succursurum; ad quem ipse Zutphaniam profectus promissum accepit, exercitu eum opem laturum. Initio quidem Carolus Treviris cum imperatore conveniens eum cum gente Palatina conciliare temptavit, sed nihil impetravit, immo ipsas has res Colonienses imperatorem praetexuisse scimus,

cum subito conventu Trevirensi discederet. Is cum Coloniam advenisset Hermannum administratorem confirmavit, eundemque quum x^{M}. fl. se daturum esse promisisset, papae se commendaturum pollicitus est, ut futurus archiepiscopus crearetur. Cum vero nihil amplius valeret, administratori ipsius viribus jus ab imperatore confirmatum exercendum erat. Hac in re bellum evitari non posse mox apparuit, cum Rupertus, qui invitatus ab imperatore Coloniam non venerat, iterum ad Carolum se conferret, qui offensionis ab imperatore sibi illatae ulciscendae avidus magnaque volvens consilia Treviris per Lotharingiam et Alsatiam in Burgundiam profectus erat. Cui Rupertus Dibione advocatiam archiepiscopatus hereditariam tradidit, postulans ut armis ipsum restitueret. Quod pollicitus Carolus statim Coloniensibus imperavit, ut advocatiam suam agnoscerent, et insignia Burgundica curiae dominicae affigerent. Ad quod mandatum Colonienses nihil respondentes cum insignia detraxissent pedibus que calcassent summo opere omnia ad bellum paraverunt, mercenarios conduxerunt, cum archiepiscopo Trevirensi de auxilio suppeditando egerunt, ab imperatore et comitiis Augustanis auxilia petierunt. Simul Henricus Hassiae frater administratoris copiis Hassicis collectis a Coloniensibus belli dux factus est. A partibus Hassicis cum maxima capituli nobilium que pars stabat, tum urbes Colonia, Bonna, Ahrweiler, Novesium, Andernacum, ab archiepiscopi partibus Remagen, Sinzig, Linz. E quibus maximi erat momenti Novesium, quippe quod in primis pateret impetui e Burgundia illato. Huc igitur Carolus simulut accepit, quanta contumelia Colonienses ipsum affecissent, Robertum Arburgensem misit, ut oppidum sive pactione sive proditione sub potestatem Burgundicam redigeret. Illo vero a consulibus urbe excedere jusso Carolus consilium cepit belli archiepiscopatui inferendi, quamvis tum cum maxime Alsatia deficeret et Sigmundus dux Austriae, conjurationes superior et inferior se conjungerent, Franciae rege auctore et protectore[2]). Prorogavit igitur indutias

[2]) Die XXV. Martii anni 1474 inter Sigmundum et Helvetios foedus Constantiense ictum est. Jam prius conjuratio exstiterat inferior inter episcopos Basileensem et Argentoratensem et civitates Basileam, Argentoratum, Colmarum, Schletstadium, qua cum liga Sigmundus IV. Aprilis pactus est, postquam jam antea inter conjurationem superiorem et inferiorem unio exstitit. Omnes uniones in decem annos factae sunt.

cum Ludovico rege Franciae factas usque ad primam Maji diem anni 1475ti, simulque cum Eduardo rege Angliae societatem iniit, ut una proximo anno Franciam aggrederentur occupatamque dividerent. Speravit enim se antea bellum Coloniense ad finem perducturum regionemque medii Rheni sibi subjecturum. Cui quanta praeter ea consilia fuerint et tunc et postea multi disseruerunt. Hoc quidem certum est, nihil fuisse illud bellum nisi initium aliorum, quae postea inita sunt contra rebellem Alsatiam, Helvetiam, Lotharingiam.

Notum est Treviris inter imperatorem et ducem Carolum de summis consiliis actum esse, de corona Carolo imponenda et de nuptiis Mariae cum Maximiliano celebrandis. Quae consilia utrique principum maxime cordi fuerant, quaeque cum non successissent magnum inter eos odium provocarunt. Nec multo post Christianus rex Daniae Rotemburgium venit ad imperatorem, magna consilia animo volvens. Qui imperatori persuasit, ut inter ipsum, Albertum marchionem Brandenburgium, reges Franciae, Scotiae, Daniae magnum foedus iceretur ad libertatem civitatum vasallorumque supprimendam, hoc autem foedus ab imperatore praecipue contra Carolum ducem versum est. Quod Christiano illi quidem minime placuit, licet voluntati imperatoris annueret, Ludovicus autem rex Franciae ad id maxime se paratum esse dixit, cum imperator Stephanum Bavariae ducem (qui capitularis fuit Coloniensis, Ruperto inimicissimus) ad eum misisset. Deinde quum bellum contra archiepiscopatum Coloniensem a Carolo parari pateret, acrius de unione imperatoris et Ludovici regis actum est. Stephanus dux iterum Parisios missus est.

Postquam Robertus de Arburg Novesium reliquit, cives Coloniam ad consules et capitulum miserunt auxilii petendi causa, ne obsidione futura opprimeretur. Illud enim certum videbatur Carolum si archiepiscopatum invaderet istam urbem primam oppugnaturum esse, quia totius dioceseos quasi propugnaculum contra Burgundiam erat. Atque eo tempore Coloniae partes dissensisse videntur, utrum bellum parandum vel pax quaerenda esset. Neque

enim latuit bellum illud fore cum duce strenuissimo, cui nullus usque ad hoc tempus exercitus restitisset. Tamen postquam longe haesitatum est[3]), Hermannus ipse Novesium petiit „cum notabili numero nobilium vasallorum et numerosa multitudine equitum pro majore parte ex Hassia et nonnullis pedestribus vernaculis[4])." Jam plures per menses Ruperti centurio peritissimus a Friderico Palatino ad auxilium fratri missus, Martinus de Ruyssenbach urbem vexaverat, varios discursus circa urbem faciens, hominibus pecoribusve insidians, deinde metatis castris dimidium milliarium a Novesio urbe remotis obsidionem eo modo anticipavit, ut Novesienses ab omni commeatu vel munimentis afferendis abscluderet. E tanto periculo ut se liberarent Novesienses ex urbe egressi die XXII. Junii ubi primum illuxit de hostibus improviso oppressis magnam reportarunt victoriam. Martinus ipse tam grave vulnus accepit, ut paulo post moreretur. Magnum vero pecorum numerum ceperunt, deinde ex locis circumjacentibus vi et pecunia omnia in urbem coëgerunt, arbores circa urbem desecarunt. Monasterium ordini sancti Augustini adscriptum, ante portam superiorem situm, monachi cum deseruissent, pars in alia monasteria refugit, pars in urbem se contulit, tantum commeatum secum ferens, ut omnes monachi plus tres annos vivere possent. Sed omnia ad communem usum praebuerunt. Denique in monasterio ipso, quaecunque res ad belli usum usurpari posse videbantur, a civibus militibusve in urbem ablatae sunt. Certe obsidio eo tempore orta est, quo omnis prioris anni penus jam consumptus esse solet, tamen septingenta vini optimi plaustra reperta sunt, insuper tanta frumenti multitudo inerat, ut panibus duodecim millia maldrorum siliginis consumerentur et praeterea decem millia cerevisiae vasorum coquerentur. Pecorum quamquam satis magnum numerum ex locis vicinis compulerunt ipsisque civibus multa adfuerunt propter pascuorum bonitatem, tamen versus finem obsidionis summa inopia ex-

3) Magn. Chron. Belg. in Pistorii Ss. rer. Germ. tom III. p. 411.

4) Haec et sequentia usque ad oppugnationis initium ex magno chronico Belgico hausta sunt, cujus auctor monasterio sancti Augustini adscriptus his temporibus aequalis fuit. Scripsit autem, quamquam initium modo obsessionis narravit, post finem belli. Qui opus post belli finem incepisse et a morte ablatus fuisse videtur, priusquam inceptum perfecit.

stitit, quae eo sublevata est, quod melle sic abundabant, ut quingenta vasa per singulos dispensari possent, „eo quod plures oppidani quaestum faciunt de tortis conficiendis“ ut refert auctor magni chronici Belgici[5]).

Interea dux dehortantes imperatoris litteras aspernatus[6]) jam Junio mense bellica consilia manifestavit. Qui die XX. Lucemburgiae praecepit, ut incolae ab omni cum subditis Ruperti rebellibus desisterent commercio, itemque cum duce Austriae civitatibusque in Alsatia et Ferretta sitis, quippe qui omnes se hostes adversus ipsum praestitissent[7]). Deinde magno exercitu apud Trajectum ad Mosam coacto, versus finem mensis Julii in archiepiscopatum Coloniensem profectus est. Ac fieri aliter non poterat, quam ut Novesium primum aggrederetur, quia duo milliaria infra Coloniam situm ex ipsius territoriis venienti prima urbs munita occurebat. Plurimum enim interfuit, ut Rhenum fluvium ascendens exercitum semper augere et commeatu munimentisque instruere posset. Summus ei terror ac pavor paene incredibilis antecessit. Nam communis in omnibus fuit opinio, Carolum non modo archipraesulatui Coloniensi bellum minari, sed toti imperio. Eum in animo habuisse aliquo loco legimus, ut pedem in imperio poneret[8]).

Praecurrentibus tantis rumoribus die XXIX. mensis Julii ante Novesium cum exercitu apparuit[5]). Ac primum quidem praeconem ad consules misit, ut urbem ipsi traderent. Qui ab Hermanno landgravio moniti, ne animo deficerent, fortiter responderunt sibi cum duce nihil amplius agendum esse, quum urbem imperatoris ac papae auctoritati tradidissent. Jamque ira ita efflagravit, ut non multum abesset, quin milites istum praeconem verberibus in-

---

5) Eadem refert Wierstraat in fine operis sui.

6) Patet ex litteris Henrici Suydermanni, ex arch. Confl. Etiam legatus papae intercedens discordias componere temptavit, sed frustra ut ipse narrat in epistola Romam missa, cfr. Müller R. T. T. II, 1. p. 655.

7) Datum in vnserm Sloss zu Lutzemburg des XX. tages brachmonats 1474. Ex arch. Wimar.

8) Tales rumores etiam in Burgundico exercitu divulgatos fuisse — Magn. chron. Belg. testatur.

9) Hoc tempore Christiani Wierstraati chronicon incipit versibus illustratum: Reim chronik der Stadt Nuyss durch Christianum Wierstraat secretarium, Denuo edidit a. 1855. Hermann van Groote.

terficerent. Praecone sic repulso Carolus eadem die sex millia Lombardorum et Picardorum militum exquisitissimorum versus urbem misit, ut gravi impetu eam oppugnare tentarent. Qui quamvis ferocissimi „leonum instar“ incursarent, a Novesiensibus tam vehementer excepti sunt, ut pluribus horis post magno cum vulneratorum numero recederent[10]. Tum Carolus constituit, ut urbs undique obsideretur. Sed antea situs mihi urbis paucis describendus est[11].

Urbs hoc tempore Rheno propior quam nunc sita erat eo loco, ubi flumen Arpa in Rheni brachium fluxit, ita ut tota pars orientalis undis allueretur. Posita est in colli eminentiore, versus aquam graduum modo satis praerupte decurrens. De magnitudine nihil relatum est, sed ab septentrione usque ad meridiem multo longior erat, quam ab oriente usque ad occidentem. Itaque necesse erat, ut tribus modo partibus munimentis defenderetur. Quas tres partes murus simplex circumdedit, deinde tota pars septentrionalis et dimidia occidentalis ab altero quoque muro cingebantur, ita ut duplex murus existeret. Spatium interjectum terra repletum erat ac locum satis magnum proeliandi praebebat. Praeterfluxit fossa totum murum partim duplicem, partim simplicem. Atque in ea parte quae simplici tantum muro utebatur, extra fossam agger exstructus erat, quem altera fossa cingebat. Quae munimenta usque ad flumen porrigebantur, trans ea arboribus virgultisque terra obserta erat. Civibus ibi hortos fuisse scimus. Quartam partem ut jam memoravimus, Rheni brachium praeterfluebat cum Arpa conjunctum. Etenim antequam Rheni brachium usque ad Arpam pervenit, in duo nova brachia divisum est, ita ut in alterum Arpa effunderetur, alterum sinum satis magnum faciens paullo infra urbem cum altero iterum se conjungeret; neque multo procul ab hoc loco omnis aqua in Rheni ipsius alveum incurrit. Tali modo insula exstitit, quae ad defendendam non minus quam ad obsidendam urbem magni

10) Magnum Chron. Belgicum et Wierstraat, sed hic brevissimus.

11) De quo ab auctore magni chron. Belg., a Wierstaat, a Molinet aliisque multa quidem sed non congruentia inter se relata sunt. Id certe intelligimus nomina Rheni et Arpae pluribus vicibus confundi. Ac dicam quae mihi justa ac recta esse visa sint. Cfr. Löhrer Geschichte der Stadt Neuss. Neuss 1840.

momenti erat. Cujus insulae pars minor fossa sive naturali sive artificiosa separata erat a majore. Duae igitur insulae major minorque exsistebant.

Portae urbi erant quinque, supérior, telonea, Hammonis, inferior, Rhenana, a meridie usque in septentrionem. Portam superiorem egresso mox monasterium ordini Sancti Augustini adscriptum occurebat. Ibi dux sedebat. De magnetudine exercitus quem secum duxit, multa tum atque recentiore tempore fabulosa vulgabantur, sed certa testimonia[12]) eo congruunt, plus tredecim millia et ducentos milites legionarios eum non habuisse, quorum major pars equitum erat. Addendi sunt fere quatuor millia hominum, qui exercitum sequebantur.

Obsessa autem fuit urbs hoc ordine. Portam Rhenanam comes de Campobasso, inferiorem Galeotto cum Lombardicis obsidebant lancigeris et cum arcuballistariis peditibusque aliis. Ante portam teloneam Balduinus de Lannoy castra metaverat, spatiumque inter ipsum et Jacobum Galeotto Jacobus de Wanperghe, Bernardus de Ravenstein, Rimarius de Broichhusen implebant, quorum ultimus cum suis militibus portam Hammonis oppugnabat. Deinde locum usque ad ducis tentoria tenebat Lancellotus de Bellamont, quaeque intererant inter ducem et Arpam a Philippo de Poitiers et a Ferry de Clissance obsidebantur. Dux ipse satis magnum numerum, praecipue potentissimos vasallos secum habebat, comitem Chimajum, Nassouiensem, Lucemburgensem (filium comitis stabuli de Sancto Paulo), Vintoniensem (regulum Gruthusii), Everardum Ardenburgensem, Guidonem Meghensem (Humbercourt), Johannem Egmondanum etc., deinde ducem Montanum Guilelmum, Johannem filium ducis Clivensis, initio obsidionis etiam marchionem Ferrariensem, fratrem spurium Antonium multosque alios. — Postremo trans Arpam, inter Arpam et Rheni brachium Anglicorum castra posita erant. Qui quum omnes arcuballistis uterentur hostes e longinquo vexabant, prohibebantque quominus naves ad oppidum adveherentur vel Novesienses per Arpam in insulas exirent. Ista

12) Wierstraat et Molinet. Durante obsidione duo cives ex urbe egressi imperatori idem retulerunt. Ex arch. Wimariae.

tamen circumvallatio ab urbe tam remota erat, ut Novesienses sine timore per portas egressi circumvagarentur. Ac maxima praesidia ante portas Rhenanam et superiorem posita erant, quia urbs his locis propugnacula munitissima habebat. Praeterea in toto murorum aggerisque cursu multae turres vel similia propugnacula exstructa erant, e quibus Novesienses tormenta in oppugnatores dejiciebant. Denique fuit urbs ut his temporibus munitissima neque minus civium ac praesidii fortitudine quam murorum firmitate tuta [13]). Milites pedestres equestresque fuisse praesidio mille octingentos legimus [14]), quibus Hermannus ipse praeerat, non minus viri bellici quam ecclesiastici virtutibus insignis. Consules fuerunt Johannes de Erpenrode et Reinboldus Heyebisce [15]). Sed Carolus vinearum, tormentorum, telorum, ballistarum, globorum armorumque cujusvis generis immensam multitudinem secum attulit. Nam uti instituta militaria sic instrumenta quoque et machinae Carolo multo meliora fuerunt, quam ceteris principibus. De hac se scriptores congruunt.

Circumvallatione ista, quam narravi, perfecta mox Carolus opus esse intellexit, ut insulas occuparet, ob hanc maxime causam, ut urbem ab omni ope ferenda abscluderet. Sed cum mercenariorum magna manus ex Lombardorum castris egressa natando ad alteram ripam pervenire temptaret, plurimi aquarum impetu avulsi inutilem mortem obierunt. Nec prosperius alter conatus evenit, quum aliquot diebus post comes de Campobasso per virum natando pergressum navem funibus in insulam trahi et Lombardorum ac Picardorum numerum trajici jussisset; ubi enim centum et viginti alteram ripam assecuti sunt, fune discisso, a majore numero Novesiensium

---

13) Molinet ipse de Novesiensibus, I. p. 44. „Si prouesse chevaleureuse se trouva oncques résidente en ville par terre, elle avait en Nusse glorieuse habitation."

14) Magn. Chron. Belg., etiam Comines l. IV. cap. II. Rommel Geschichte von Hessen III., 1. p. 52: Hermannus adduxit M pedites et V^{C} equites Hassicos. Hoc quo que loco Bircken majorem numerum affert, III^{M} peditum et V^{C} equites. (p. 793.) Idem multorum nomina attulit, sed apud Rommel l. c. p. 57. eorum nullum, sed prorsus alia reperi. Quae Rommel attulit, ex Dilichii chronico Hassico extracta sunt, p. 258 (ed. Cassel a$^{o.}$ 1608$^{vo.}$).

15) Molinet I, 30: Jean de Herprode et Rembout Heyebisce (Hegewisch?), militibus praefectum nominat Musebacque (Meusebach). Ex litteris interceptis.

erupto post atrocissimum pugnam plurimi trucidati aut in aquam depulsi sunt[16]). Id obsessis prosperrime contigerat, quum post quatuor dies quingentos milites, quos a Coloniensibus Hermannus landgravius petierat aperto Rheno intra urbem accipere possent. Eodem modo civium Bonnensium quaedam manus in urbem advecta est media luce. Quo acrius dux insulas occupare et aqua absciudere conatus est. Sequenti igitur die (XI. Augusti) trecenti lanceri, trecenti arcuballistarii aliique pedites quingenti navibus trajecti insulam sine certamine occuparunt, quos Novesienses propter ingentem numerum oppugnasse non videantur[17]). Quo facto Jodocus de Lalaing et Ludovicus de Soissons insulam majorem, minorem comes de Montfort cum militibus occuparunt. Quibus ut commercium fieret cum ceteris castrorum partibus dux trans Rheni brachium meridionale et in septentrione trans Arpam cum eodem Rheni brachio conjunctam duo pontes faciendos curavit. Atque quum Colonienses navem materia ad exardescendum facile repletam ad pontem meridionalem incendendi causa advexissent, quamquam non successerat, dux pontis loco aggerem ligneis factum et terra repletam exstruxit, ut Colonienses ab urbe prorsus absciuderet. Aliosque aditus prohibuit multis navibus e Belgica advectis, in Rheni brachiis positis et catenis inter se conjunctis. Quibus omnibus peractis urbem prorsus cinctam vehementissimis impetibus crebro repetitis maximoque tormentorum enormium numero oppugnare coeperat. Sed Hermannus landgravius militum civiumque animos tam fortiter exhortatus est, ut omni timore abjecto usque ad mortem urbem sese defensuros esse jurarent. Ac pugnandi cupiditate permoti jam primis Augusti diebus eruptione facta per portam teloneam Burgundiones adorti sunt, tamen ubi illorum aliquem numerum interfecerunt, sic infeliciter dimicarunt, ut relictis qui fugere non

16) Wierstraat et Molinet, qui de militum utriusque partis numero discrepant. Molinet CXX Burgundiones transeuntes facit, sed apud Wierstraat CC aut moriuntur aut capiuntur. Novesienses fuerunt CL, si Wierstraat, CCC si Molinet sequimur. Quid verum sit dijudicari non potest, sed Molinet in universum multo minore fide dignus est, quam Wierstraat. Excusandi enim vel gloriandi gratia plus semel veritatem praetermittere audet.

17) De hac insularum occupatione Wierstraat brevissimus est.

poterant, celerrime in urbem recederent[18]). Qua strage afflicti animo non defecerunt, sed verba saltem Burgundionum provocatória conviciaque et grandiloquentiam eodem modo referebant. Sed eo impetuosius dux urbem urgebat. Dinantii, Leodii memor brevi tempore fore speravit, ut hoc quoque oppidum multo minus expugnaret. Ac primum quidem conatus est omnem aquam ab urbe avertere fluviis derivatis, sed fontes intra ipsos muros satis aquae praebebant[19]). Immanem vero singulis diebus tormentorum multitudinem in urbem mittebat. Inter quae globos centum librarum ponderis fuisse accipimus. Quibus portam inferiorem fere totam destruxit, sed civium strenuitate nunquam languescente omnia noctu renovabantur, quae hostium adortus deleverat. In dies vero angustiae crescebant, praesertim cum Carolus portae Rhenanae terribilem impetum meditaretur. Ex grandissimis enim quercubus turrim exstrui jusserat, semirotundam triginta pedes altam, quam gradibus ascenderent, ut ex alto tormenta mitterent. Viginti quinque pedes remota erat ab incolarum propugnaculo munitissimo ad portam Rhenanam. Inde ab hac turri Lombardi innumera tela conjecerunt, partemque propugnaculi ac turrem columbarum, quae dicebatur, deleverunt, sed ubi nox finem imposuit, Novesienses arenae et stercoris magna multitudine lacuna siterum impleruut. Tum Carolus duobus diebus post (X. Septembris) per septem horas continuas istud propugnaculam oppugnavit, sed Novesiensium fortitudine atque constantia omnes conatus ad irritum redacti sunt. Jamque muros arietum pulsu quatere inceperat, obsessi autem tantam multitudinem lapidum, aquae calidae, calcis ferventis, quam mulieres ipsae afferebant, in eos dejecerunt, ut magna cum clade desisterent. Quod cum mane accidisset, dux post meridiem Novesiensibus fatigatis altero impetu portam superiorem occupare temptavit, sed iterum Burgundiones tanto telorum numero excepti sunt, dum equites Hassici eruptionem faciunt, ut terga verterent,

---

18) Wierstraat v. 366—370: „Van mannen ind van wyuen, hoird man dat seer clagen.

19) Plures enim rivi occidentalem Novesii partem praeterfluentes, quorum unus Kruhr, in fossam, deinde in urbem deducti fuisse videntur. Quos ad rivos molae exstructae erant.

arietibus machinisque relictis. Permulti ab utraque parte caesi sunt, trecentos Burgundiones totidemque obsessos Molinet jam priore adortu necatos esse narrat[20]. Praefeetus autem Lombardorum indutias petiit accepitque ab Hermanno landgravio, ut suos sepeliret. Jam Novesienses id initium fore pacis sperabant, ducem tanta calamitate deterritum esse rati. Quae spes fefellit, immo mox sentiebant periculum miseriamque denuo augendam permanere. Dux quum urbem utique expugnare decrevisset, ante initium hiemis vel priusquam auxilium ex imperio veniret, id fieri maxime cupiebat.

Quum legati Colonienses ducis exercitum appropinquare nuntium ad imperatorem tulissent, auxilium petentes, comitia nondum discesserant. Atque pridie ejus dici, qua Carolus Novesium primo oppugnavit, imperator litteras ad principes emisit, mandans ut de imperio defendendo consulerent[21]. Simul Adolfum Moguntinum, qui solus principum potentiorum Augustae aderat, ad Albertum Brandenburgicum misit, qui exercitus cogendi causa aestimationem facerent. Quae dum geruntur novi oratores advenerunt, Novesium jam obsideri nuntiantes, postulantes, ut auxilium et maximum et celerrimum ferretur. Cum vero imperator se ipsum contra Carolum profecturum esse sed pecunia carere dixisset, illi mille florenos pro unaquaque hebdomade atque florenorum centum millia post bellum prospere confectum urbem soluturam esse promiserunt. — Haec initio Augusti fuere, praecedentibus vero mensibus quid actum sit, non planum est. Per legatum Apostolicum[23], per regem Daniae[24] temptatum erat, ut res cum Carolo componerentur, sed frustra.

---

20) Molinet I. p. 45—47. Wierstraat v. 604:
dair buyssen synt do bleuen vil hondert mynschen doyt. V. 632: dar bleuen doyt vyll burger ind junckherrn stoulz vyt Hessen.

21) Augsburg dornstag nach sant Jacobstag. Ex arch. Wimar. Cfr. litteras ejusdem diei ad ducem comitem Wirtembergensem apud Sattler IV. 64.

22) Haec Bircken, ex quo Müller R. T. T. et Paul v. Stetten in Geschichte von Augsburg.

23) Müller R. T. T.

24) Comines ed. Lenglet II, p. 213. XXI. die Julii oratores Danici apud ducem fuerunt.

Interea Albertus marchio cum Adolfo Moguntino primis Augusti diebus in oppidum Gunzenhausen convenit. Atque in capite suasoriae id posuerunt, ut imperator ipse Francofurtum se conferret, ibique principes terrarum Rheno adjacentium eorumque exercitus ad se couvocaret. His cum copiis proximum periculum prohiberetur atque dux Carolus ab expugnatione dioeceseos tamdiu impediretur, donec totus imperii exercitus convenisset. Ceterum suaserunt, ut eodem tempore Sigmundus dux Austriae cum foederatis principibus, civitatibus, Helvetiis Carolo bellum inferret, Burgundiam superiorem invadendo. Ac promitteretur illos nunquam ab imperio aut imperatore desertum iri. Deinde aestimationem fecerunt, qua CXXX^{M} hominum ex toto imperio contraherentur, quorum dimidia pars contra Turcos bellum susciperet, altera Carolum repelleret. Quatuor igitur exercitus ut instruerentur suaserunt, quibus singuli duces praeficerentur, unus ex Bavaricis, unus ex Austriacis, unus ex Saxonicis, unus ex ecclesiasticis principibus; imperator omnibus caput praeesset. Sane studium fuit tantum, quantum homines longum per tempus in imperio non vidissent. Speravit marchio se omnia recturum esse; nam quis fuit belli peritior, quis majore fama! Ac terrae quidem singulae sic aestimatae sunt, ut Sigmundus et foederati XX^{M}, principes Rhenani XX^{M}, Hassia, Saxonia, Franconia XX^{M}, imperii pars septentrionalis cum urbibus maritimis XX^{M}, Bavaria X^{M}, Badenia, Wuertembergia, Sueviae pars quae non Sigmundo esset foederata X^{M}, imperator pro terris hereditariis una cum archiepiscopo Salisburgensi X^{M}, Bohemia X^{M} hominum mitterent. Praetera in singulis partibus singula quoque enumerantur, sed non tam lege distributionis quam aestimatione[25]). Dimidium fere omnium copiarum ut contra Turcos bellum pararet, statuerunt, scilicet Austria, Salisburgium, Bavaria, Sueviae pars cum Sigmundo duce non conjuncta, Polonia denique et Bohemia. Etiam mari dux oppugnandus videbatur, ad quod Dania, Dithmarsi, Frisia et Scotia invitarentur. Postremo C^{M} florenorum necessaria

---

[25]) Quae summae singulatim enumeratae efficiunt CXXIV^{M} II^{C} homines, quibus ex toto imperio sex millia adderentur. Exceptae sunt autem terrae ducis exercitui finitimae: Juliacum, Clivia, Mons, Röteln, Nassovia, Mediomatricum, Aquisgranum, Gelnhausen, Friedberg aliaeque. De duce vero Lotharingiae prorsus nihil dictum est.

ad expensas communes esse convenit, quorum dimidiam partem Colonia urbs penderet, altera reditu et vectigalibus archidioeceseos per biennium solveretur[26]).

Hi hactenus, sed ubi auctoritas haec perficiendi? Ac totus deinde mensis Augustus agendo consumptus, ut singulorum principum voluntates cognoscerentur et quantum fieri posset ad haec persequenda commoverentur. Maxime autem opus videbatur, ut de Saxonum studiis imperator certior fieret, neque sine eorum auxilio bellum potuit fortiter geri. Itaque XV. die Augusti Adolfus Moguntinus denuo eos exhortatus est. „Jam nuntius, inquit, imperatori certus advenit, Carolum ante urbem Novesiensem apparuisse ut eam oppugnet; qua capta Coloniam petet, illam quoque sibi vindicaturus. Sed quum Coloniae validus exercitatusque in in armis populus non sit, timendum est, si Carolus in incepto perseveret neque ab imperio repellatur, ne perdatur et avellatur non solum archiepiscopatus Coloniensis sed etiam alii electoratus principatusque imperii[27]).“ Quae cum Adolfus Wimariam scriberet, Dresdae Rudolfus de Pappenheim archimareschallatus in imperio vicarius cum Ernesto et Alberto egit. Quibus quum mandasset, ut VIII$^{M.}$ hominum mitterent ac locum conveniendi cum ceteris copiis destinarent, aperte responderunt, duas esse rationes ex quibus imperatori satisfacere non possent, ac primam quidem, quod contra episcopnm Herbipolensem bellum iis gerendum esset, deinde quod opus esset, ut cum duce Guilielmo colloquerentur. Quo facto imperatori se responsuros. Denique ipsorum territoriis providendum esse, quum inter Poloniam et Hungariam bellum instaret[28]).

Multo etiam magis Bavarici renitebantur, qui nulla ratione ad opem ferendam vel contra Burgundiam vel contra Turcos commoti ne diffidentiam quidem amoverunt, se contra imperatorem acturos.

---

26) Chmel Monum Habsb. I, 1. p. 418—427. Primus autem hanc aestimationem publicavit Heinrich: Teutsche Reichsgeschichte IV. p. 418, Num illa C^{M} florenorum pensa sint non inveni, sed imperator exegit etiam a Judaeis Ratisponensibus IV^{M} (cfr. Gemeiner Geschichte von Regensburg III, p. 359) ac verisimiliter aliae pecunias ab aliarum civitatum Judaeis. Praeterea pro stipendiis non factis IV^{M} florenorum accepit a Theda comitissa Frisiae orientalis. Chmel Mon. Habsb. I, 1. p. 444.

27) Ex archivo Wimariae.

28) Ex archivo Wimar.

Palatinus proscriptus erat, contra ejus fratrem ex possessione depulsum nunc bellum parabatur: non in animo habuerunt hostes ipsorum domus adjuvare. Omittam de ceteris hic principibus loqui. Soli Alberto marchioni praeter Moguntiacum voluntas pugnandi fuit. Qui cupivit, ut ab Alpibus et a Rheno simul Carolus oppugnaretur, ut confestim omnia pararentur; sed confidentia caruit, hoc factum iri. Acceperat enim Sigmundum et foederatos de pace cum Carolo agere. „Si vero alter, exclamavit, pacem agitat, alter nihil certi respondet, alter in alterum confert, non par est, nos quidem Coloniam malumus servare, quam Herbipolensem episcopatum[29]).“ Ac postridie imperatori ipsi copiosius exposuit, quae nunc persequenda essent, suadens, ut is foedus quam firmissimum cum Bohemia Poloniaque iceret, quo icto munitus in tergo omni cum exercitu contra Burgundiam proficisceretur. „Ego quidem, inquit, a te domino meo non abscedam, sed auxilium praestabo, ad quod fide obstrictus sum[30]). Itaque imperator ad amplius de bello deliberandum principes invitavit, ut XIV. die Septembris Herbipolim convenirent[31]); simul cum de aestimatione prius exposita nondum convenisset, praecepit, ut in oppido Schweinfurt deliberatio pergeretur, Saxonum principes invitans, ut eo se conferrent[32]). Sed ut maxime necessaria celerius praepararentur, jam nonnullis diebus post (XXVIII. die Augusti) principes et civitates cum quodam numero constituto militum in XXI. diem Septembris Confluentes convocavit[33]). Etiam Henricum Hassicum Hermanni fratrem suo loco praefectum bello instituit, ut cum finitimis praecipue Coloniensibus resistentiam Carolo faceret[34]); simul ad

---

29) Cfr. litteras de XVII. Augusti ad consiliarium: „wir wollen zu vnserm teil lieber Cöln helffen redten als den Stifft zu Wirzpurg.“ Ex archivo Bambergensi.

30) Cfr. litteras de XVIII. Augusti. Höfler Fraenkische Studien. p. 101—104.

31) Müller R. T. T. II. p. 661.

32) XXIV. die Augusti; ex arch. Wimariae.

33) Cfr. litteras ad Saxones missas in archivo Wimariae, ad Augustam Vindelicorum apud Müller R. T. T. II, 1. p. 649. Numerus hic imperatoris arbitrio constitutus esse videtur.

34) Hoc patet ex litteris, quas XXX. Augusti ad Saxones scripsit; ex arch. Wimar. Cfr. Rommel Gesch. v. Hessen III, 1. p. 53.

duces Juliacenses et ad Clivensem litteras misit dehortantes, ne ducem Carolum commeatu afferendo adjuvarent[35]).

Sed multum abfuit, ut ita fieret, quomodo decretum erat. De deliberationibus in oppido Schweinfurt habendis nihil traditum est[36]), conventus Herbipolensis non successit, quum imperator Augustam relinquere nequiret, pecunia carens, ut expensas solveret. Sane oratores Colonienses promiserant ipsos quae nondum soluta essent daturos, quum vero tantam pecuniam secum non haberent neque mutuari Augustae possent, imperatoris sarcinae retentae sunt, donec consules Augustani et aliarum civitatum oratores partem pecuniae praebuerunt, pro altera parte vadimonia susceperunt. Itaque imperatori die XXIV. mensis septembris in oppidum Günzburg profecto, apparatu male imperatorio, sarcinae submissae sunt, quo facto exeunte mense Herbipolim pervenit[37]).

Interea jam dies praeterierat, quo milites apud Confluentes cogerentur; Fridericus igitur Augusta nondum relicta diem usque ad XXX. novembris in festum Andreae apostoli prorogavit, mandans, ut Francofurtum aut Confluentes milites coirent[38]). Quum vero istis diebus Henricus Hassiae landgravius ipse eum adiret, summum imminere periculum ostendens, nisi Colonia celerrime adjuvaretur, principibus civitatibusque circum Coloniam sitis praecepit, ut decima Octobris Coloniam proficiscerentur, promittens sese ipsum ibi adfore, tantum festinando iter, ut nullis locis plus unam noctem moraretur. Misit etiam Rudolphum de Pappenheim, qui cum Saxonibus egerat et Dr. Georgium Heslerum, accuratius praecipiens, ut copiae Trevirenses, Hassicae, Juliacae Coloniam peterent ipsum exspectaturi[39]). Longe exspectassent, si venissent! Cum nuntiis tam laetis Henricus Hassiae initio octobris

---

35) V. septembris, apud Chmel Mon. Habsb. I. 1, introductio p. CXXXV.

36) VIII. septembris marchio Albertus Saxonum principes interrogavit, utrum in urbem Schweinfurt venire vellent an non; sed nescio responsum. Ex arch. Wimar.

37) Cfr. Gassari annales ad a. 1474 apud Mencken scriptores I.

38) Cfr. litteras archiepiscopi Johannis Trevirensis ad Colonienses de die XXI. septembris. Ex arch. Confluent.

39) Cfr. litteras Coloniensium ad archiep. Trevirensem de die III. octobris. Ex arch Confluent.

Coloniam reversus animos multum recreavit, sed plurimum abfuit, ut imperator promisso staret. Qui totos per menses octobrem et novembrem Herbipoli haesit. Nec tamen multa ibi processerunt. Duces quidem Saxoniae Albertus et Guilielmus quarta octobris advenerant, octava jam rediere, eadem die qua Albertus Brandenburgicus advenit, cui cum imperatore obviam vecti sunt. Ne is quidem diu moratus est[40]). Ac praesertim foedus Gallicum agebatur[41]); quum vero Stephanus dux a Ludovico rege nondum revertisset nihil certi decerni potuit. Saxonibus demum rursus profectis Emico comes Leiningensis Herbipolim pervenit, quo Ludovicus oratore utebatur in rebus Germanicis. Per quem Ludovicus se X vel XII[M] hominum in finibus Germanicae terrae tenere nuntiavit, cupientem, ut foedus fieret cum imperatore. Acquievit is petito, ut XVIII. die octobris Francofurtum legati de hac re deliberaturi ab utraque parte convenirent; ac statim Emiconis frater Schaffriedus missus est, ut Saxones certiores faceret. Ac petierat rex, si arma cepisset contra Carolum, ne pax cum hoc fieret, nisi ipso adjecto neve controversiae alia ratione cum duce componerentur, quam ut et ipse rex idem faceret. Cui imperator et principes assensi sunt. Placuit igitur, ut legati imperatoris et electorum cum regiis Francofurti deliberarent. Atque imperator Sigmundum quoque ducem Austriae invitavit, ut illius foederis particeps fieret. Sed recusavit ille dicens sese jam cum Ludovico esse conjunctum[41a]).

Exstitit autem alia cunctandi ratio quae imperatori non minus quam marchioni curae fuit. Nam opus fuit, us res Palatinae ad certum eventum aut saltem ad indutias quasdam accederent, priusquam bellum ipsum iniretur. Comitiis enim Augustanis, mense Majo, imperator comitem Palatinum, quem nunquam electorem agnoscerat, proscripserat, quare exspectandum erat illum non

---

40) Cfr. litteras Guilielmi ducis Saxoniae ad Albertum ducem de die XXI. septembris et litteras Alberti ad fratrem Ernestum de die VIII. octobris. Ex arch. Wimar.

41) Cfr. litteras Alberti et Guilielmi ducum ad Ernestum electorem, datas Jenae die XIII. octobris apud Müllerum.

41a) Chmel Mon. I. 2, 160—165. Hae litterae non ex anno 1474, sed ex Januario vel Februario anni sequentis sunt.

permissurum esse, ut milites per ipsius fines contra fratrem Rupertum proficiscerentur. Plures rerum componendarum conditiones propositae erant per duces Bavariae et regem Christianum; postremo initio Octobris per comitem Hugonem de Werdenberg Bavarici id obtulerunt, ut Palatino et imperatore reconciliatis partem copiarum contra Burgundiam partem contra Turcos mitterent. Quibus quid molirentur marchio Albertus bene sensit. Etenim si offerrent, ut partem contra Burgundiam mitterent, nihil aliud eo agi putavit, nisi ut prorsus a militibus mittendis abstinerent; quorum quum non in potestate esset, ut milites in terras tam remotas egredi juberent, fore ut cum statibus territoriorum de ea re deliberarent. „Hoc omnibus, inquit, commune principibus est consilium, si quid facere nolunt. Nam quid status respondeant facile potest colligi. Dies proponitur in terminum mensis, isti mensem postulant tempus deliberandi. Qua ratione quando natalicia Christi adsunt, tempus exeundi opportunum esse negant, pecuniam frustra consumi praetendentes. Sed moris esse dicunt, ut opportuno tantum tempore imperator, principes, civitates bellum incipiant. Haec si verbis exquisitissimis demonstraverint, hiems consumpta est. Illis vero septem millibus contra Turcos mittendis praetendent non satis commeatus adesse ad expeditionem contra Turcos suscipiendam et si, Caesar, Hugonis comitis consilio usus virum quemdam in istam regionem miseris, qui commeatum inspiciat satisque adesse eos certiores faciat, idem fiet; nam explorando mensis consumetur, deinde conventus sequetur post mensem et quando omnia parata erunt, natalicia adsunt. Sed quum tempore sic inopportuno pecunia frustra consumatur, omnes domi manebunt.“ Nec falsa haec Albertus dixit, nec soli Bavarici fecerunt, sed communem plurimis agendi rationem fuisse etiam hujus belli historia docet. Tum vero neminis plus quam Alberti interfuit, ut Bavarica illa studia prohiberentur; suasit igitur, ut imperator ducem Ludovicum ad bellum contra Hungaricum regem parandum incitaret, operans Ludovicum regis Matthiae hostem factum eundem et Caroli fore illius socii et hoc modo etiam a Palatino, cui cum Carolo foedus esset, amotum iri. Res difficillima fuit, neque enim Albertnm effugit, summi esse momenti in bello contra Burgundiam ineundo, ut Palatinus libe-

rum per terras suas transgressum pateretur. Atque iisdem diebus illum ab ea petiit, sed aeque ac duces Saxoniae repulsam tulit[42]), quum Palatinus commoveri non posset, ut hostes fratris adjuvaret, qui ipsius hostes minores non essent. Sic marchio ipse suasit, ut Ludovico Bavariae conciliatio imperatoris et Palatini comitis permitteretur. „Si Rhenus, inquit, nobis apertus non est, commeatus exercitui subferri nequit, nec fieri potest, ut remotiores cum magno militum numero per longum tempus se sustineant[43]).“ Certe alium quemvis conciliatorem maluit habere, quam ducem Ludovicum. Sed imperator dubitabat in angustiis quid faceret, nemini fretus, ad audaciter progrediendum non adducebatur, sed agendo cum omnibus commoda ipsius persequebatur[44]). Ac paene jam eo tempore, quo Herbipoli discessit, omnia sperasse videtur sine armorum concursu compositum iri. Nam cum tandem die XXIII. novembris Herbipolim relinqueret, ducentis modo et quinquaginta militibus stipatus, a servo interrogatus, num thoracem induere vellet, non opus esse dimicando respondens holoserico tantum vestimento indutus Francofurtum petivit, sed non priusquam pecunias satis magnas acceperat, promisso Francofurti alias ipsi adfore[45]).

Interim jam a diversis partibus bellum parabatur. Colonienses illi quidem Henricum Hassicum praefectum creaverant[46]). Qui mense Augusto castra movere coepit, dum Colonienses cum Johanne archiepiscopo Trevirensi agunt, ut milites mercenarios ipsis submitteret. Ipse quidem quod publice Colonienses adjuvare non posset et excusans tamen per fratrem marchionem Badensem urbi numerum satis magnum adduxit[47]). Sic paulatim pugnandi vires conveniebant. Henricus ipse omnia instruebat, ad pugnandum parabat, per catervas circumvagantes Burgundiones vexabat.

---

42) XXI. octobris; Palatinus respondit XXVI. Ex arch. Bamb. Cfr. litteras Palatini ad Saxones apud Müller l. c. p. 667.

43) Haec omnia marchio imperatori exposuit XXIV. die octobris. Ex arch. Bamberg.

44) Ex Alberti epistolis interdum cognoscitur, se non omnia cognovisse, quae imperator ageret.

45) Ex archivo Wimar.

46) Rommel l, c. p. 52.

47) Cfr. litteras, quae mensibus Augusto et septembri inter Trevirensem et Colonienses missae sunt. Ex arch. Confluentium.

Oppida Bel et Bachem capta sunt. Etiam senatus consulto decretum est, ut omnes cives de ipsorum bonis per juramentum aestimatis vicesimum nummum solverent[48]). Dies quidem Confluentes conveniendi paullo post prorogatus erat, tamen singulae manus jam advenerant. Primis octobris diebus Alberti Brandenburgici equites ducenti et sexcenti pedites Confluentibus apparuere[49]); secuti sunt milites ex civitatibus Nördlingen, Nuremberga, Weissenburg, Francofurto[50]), aliisque. Non procul Confluentibus juxta oppidum Montaber castra metarunt. Sed nihil agentes tempus ibi perderunt, dum Carolus de eorum adventu certior factus ira et opibus in diem crescentibus Novesium urget, obsessis jam victu telisque carentibus. Epistolae Coloniensium altera alteram sequebantur orantes, ut summa cum celeritate imperator cum exercitu adveniret ad Rhenum aperiendum[51]). Nam urbes Sinzig, Remagen et Linz praeter alias minores a Ruperti et Caroli militibus occupatae iter praecluserunt, ita ut auxilium Novesiensibus submitti non posset. Quid juvit, quod imperator electoribus Moguntino et Trevirensi aeque ac Coloniensibus mandavit, ut oppida illa ab adversariis obtenta expugnarent[52]), si ipse loco non recedebat. Exeunte tamen mense jam celerius agebatur. Marchio Albertus copias usque ad numerum sexcentorum equitum et bis mille peditum auxit et magna cum curruum multitudine apud urbem Oppenheim[53]) coegit, mox ipse Colmbergo decedens secutus est[54]). Qui semper imperatori instabat, ut festinaret, ne pecuniae frustra consumerentur. Etiam cum Ludovici oratoribus satis prospere

---

48) Chron. Colon. ad hunc annum.

49) Minutoli Kurfürst Friedrich I. Anhang p. 19.

50) Sic initio mensis octobris Johannes archiepiscopus Trevirensis, qui tum Confluentibus versatus est, ad Colonienses scripsit. Ex arch. Confluentium. Sed secundum Lersner (Frankfurter Chronik ed. a°. 1706.) p. 369. primi Francofurtensiam milites demum octobris die XXII. ex urbe exierunt.

51) Sic oratores Saxones domum referunt.

52) XI. novembris. Chmel Regesta Friderici IV. 6933.

53) Cfr. litteras marchionis de XII. Octobris, ex arch. Bamberg.

54) Cfr. litteras ejusdem ad Guilielmum Saxoniae de XVI. novembris; ex arch. Bamberg.

actum est[55]); jam nuntius Germanorum animos refecit regis copias Lucemburgiae finibus appropinquare paratas ad Carolum aggrediendum, qui magno ibi odio apud omnes esset[56]). Totam Lucemburgiam sperabant a duce descituram esse. Jam quoque certiora de magnitudine exercitus Burgundici afferebantur, jam imperator scripsit Carolum modicis honoribus velle a Novesii obsidione recedere[57]). Optimum tempus esse videbatur, ut acriter progrediendo eum repellerent, nam in Burgundia superiore his ipsis diebus a foederatis cum Sigmundo exercitus Burgundicus apud Ericortum gloriosissime fugatus erat.

Marchio autem Albertus versus finem novembris copias praemissas cum ceteris secutus est nec destitit imperatorem invitare, ut majore cum alacritate progrederetur. Ac durissimis verbis eum exhortatus est: „Nolo, inquit, amplius procedere, nisi mecum eas aut praecedas, scio enim neminem venturum esse, nisi tu adsis aut progrediaris. Quid procedam, si postea inhonesta inopia coactus ero ad secessum?“ Deinde non exspectandum esse scripsit fore ut Saxones, ut civitates venirent. Sed quamvis militum numerus apud Francofurtum et Confluentes in diem cresceret, quamvis preces Coloniensium quotidie repeterentur, Fridericus cunctando non destitit, retrospiciens quid Bavarici duces agitarent, quid in oriente fieret, semper veritus, ne comes Palatinus aperta inimicitia usus angustias ipsi pararet. Varia enim vulgabantur, Palatinum et Carolum et Dietericum de Ysenburg conjunctos esse; convenisse inter eos Dietericum archiepiscopatum Moguntiacum recuperaturum et omnes urbes Palatino aperturum esse. Quae sive vera sive ficta erant facile credebantur; mox omnibus communis fuit opinio, pacem

55) „dann die frannkreichischen Sachen sind zu ennde und besteen bracht, daran wir geuallen haben vnd dein lieb von deinen machtboten, so du bei vns gehabt, vernemen wirdet.“ XIV. nov. Imp. ad Alb. Ex arch. Bamb.

56) Sic X. Novembris eques de Dornberg ad Henricum Gleimberg scripsit. Ex arch. Wimar. Tales rumores de odio illo, quem subditi aeque ac milites contra Carolum percepissent, saepius in litteris occurrunt. Sic imperator acceperat: „das ihn sein volk hasset vnd wol wolt, das er wurd erslagen. Ex arch. Bambg.

57) „auch wolle der herzog gern mit halben eren von Neuss hinweg.“ Duo milites Novesio clam egressi ad imperatorem venerant, nuntium afferentes cum Carolo esse XIII[M] ducentos milites. Eundem numerum Wierstraat tradidit.

esse praeferendam, praesertim cum nuntius de regis Christiani adventu studiisque in castris Burgundicis percrebresceret[58]). Effugit omnis strenuitas, bellandi, vincendi cupido et fiducia. Atque pars civitatum et praecipue episcoporum in duas modo tresve hebdomades vel in unum mensem copias commeatu instruxerant[59]). — Sed quum marchio Albertus Francofurtum venisset, celerius omnia tractata sunt. Quarta decembris advenerat et jam vesperascente oratores Saxonicos Johannem Brun et Casparum Skölen ad se vocavit. „Miror, inquit Skölen, eum tam celeriter de nobis scivisse." Quos solos deinde adiit, quaerens, quomodo dux Albertus valeret, quando venturus esset, cum quanto militum numero, quam viam esset iturus. Deinde quum illi respondissent, eum per Hassiam venturum esse numero, quem prius constituisset, non minuto: si ita fieret objecit se satius ducere ducem statim Confluentes petere, quae non remotiores essent ipsi per Hassiam eunti quam Francofurtum; imperatorem quinque post dies eo profecturum esse. Petiit, ut statim commeatum Confluentes mitterent; sese pro omnibus duci Alberto responsurum esse. Illi vero recusarunt, alia non facturos se esse dicentes, quam quae jussi essent. Sic omnibus instabat, ut celerius procederetur[60]). Sed quid solus potuit, praesertim cum ab alia parte pacem fore magis in diem percrebresceret? Praeter civitates nonnullas solus dux Ludovicus de Veldenz advenerat; omnes qui adventuri essent numerum XX[M] non superare dicebantur. „Utinam Deus plus nobis fortunae det, quam dux de nobis exspectat." Sic questus est Dr. Wellerstadt[61]). Et Albertus marchio paene ironice: „Si forte inquit, imperator nimis multos milites adfore arbitretur, nos idem intelligere non possumus"[62]). Ac de omnibus fere et principibus et civitatibus questus edebat; nihil ad ejus voluntatem fiebat. Imperator jam prorsus abstinere volebat, ne Bavaricos duces citaret, sed instante Alberto

---

58) Haec patent ex relatione Saxonica de fine novembris. Ex arch. Wimar.

59) Sic IX. novembris Ewald de Lichtenstein ad Albertum marchionem retulit. Ex arch. Bamberg.

60) Ex arch. Wimar.

61) ibidem.

62) Ex arch. Bamberg.

tandem permotus est, ut X. decembris mandata ad eos iteraret, citando ut Coloniam peterent[63]). Jam enim nuntiatum erat hac re Saxones quoque commotos esse, ut pedites remitterent. Deinde cum paulatim diversae copiae adessent, perturbatio in dies augebatur. „Unusquisque loquitur, imperitat, ut ei placet.“ Unaquaeque civitas, quando quid jubebatur aut vetabatur, suum hunc morem esse excusabat. Medio tamen mense decembri Albertus dux Saxoniae advenit multis eum excusationibus sed militum numero multo minore quam promiserat, quum pedites nulli, equites septingenti quinquaginta eum sequerentur. Neque plures a Guilielmo missi sunt[64]). Advenere etiam Moguntinus ipse, tum milites Bambergenses, Herbipolenses, Eichstadienses et circa urbem castra posuerunt, agricolis gravissimi, praesertim Brandenburgici; nam Alberti commeatus Moenum subvehi non potuit, quia fluvius gelu constrictus erat.

Sic duas ibi hebdomadas considebant haec et illa agitantes. Ac legati Palatini advenerant Godofredns de Allersheim et Johannes de Cronberg discordiae componendae causa. Nam cum arma magis in dies pararentur, Palatinus timere coeperat, ne ipsi proscripto bellum inferretur. Qua de caussa etiam cum conventu civitatum Spirensi egit petens, ut civitates ipsius partes sequerentur; unde reversi iidem oratores imperatorem adierunt et tandem impetrarunt, ut quaedam compositio fieret. Itaque propositum est, ut proscriptio sisteretur, Palatinus liberum transgressum permitteret, sed belli expers maneret. Quae quamquam confirmata non sunt, tamen his temporibus res composita habebatur.

Tandem die XV. decembris marchio profectus est Francofurto ad milites circa Sulzbach et Königstein considentes, aliam viam ingressus, quam imperator, qui postero die cum Alberto Saxone castra movit, per Nassoviam Confluentes, deinde Coloniam petiturus[65]). Sed marchio Sulzbachii haesit ac quae fuerint voluntates, litterae docent XVI. die imperatorem missae. „Nobiles de Solms

---

[63]) Chmel. Mon. Habsb. I, 1. introd. p. CXXXVI.

[64]) II. Decembris Hugolt de Slinitz ad ducem Guilielmum. Ex arch. Wimar.

[65]) Hoc patet ex litteris ducis Alberto de XV. dec., datis Francofurto. Ex arch. Wimar.

et de Königstein te cras adibunt ab Henrico Hassico missi veniam petitum, ut pedites remitterent, ne pecunia incassum perderetur, comperto Saxones idem fecisse. Ego quidem multos mecum pedites multosque apud Confluentes habeo, quare rogo, ut mihi quoque permittas, ut pedites sine rumore abeant, quum mille equites totidemque satellites habeam. Sed fiat quid tibi placeat.“ Deinde satis prudenter „vereor, inquit, ne redeundi initium consilio quodam secreto factum sit, ad cujus autem favorem mihi incognitum est, sed Italiacum non designo. Sit aut non sit, hoc redeundi initium magnum nobis damnum affert. Quod deus bene vertat[66])!“

Tamen non amplius prohibitum est, quo minus copiae progrederentur, nam versus finem decembris imperator super Wiesbaden Nassoviam, Confluentes in oppidum Andernacum pervenit. Albertus dux postquam diu retractavit[67]), eum secutus est in urbem Wiesbaden, invitis oratoribus, qui a duce Guilielmo missi eum comitabantur. Albertus enim etiam Guilielmi copiarum imperium susceperat. Ibi autem per ipsos commotus est, ut iterum rediret Francofurtum: non esse satis commeatus in hac via, quam imperator ingrederetur. Satius esse eum cum militibus ipsis ire, quorum partem longe majorem jam ante Francofurtum reliquerat, ut celerius ad imperatorem veniret. Ac dux ille vir fuit optima aetate florens, fortissimus, pugnandi magis cupidus, quam Guilielmus ejusque oratores optabant. Nam quo acrior Albertus fuit, sive certandi cupiditate ductus sive ut imperatori diffidentiam demeret de rebus istis, quae frater Vratislaviae agebat, eo tardior Guilielmus, qui veram voluntatem plurimum retinens oratores[68]) ob eam praecipue causam addiderat, ut Albertum custodirent prohiberentque, ne nimis ab imperatore aut marchione duceretur. Multitudinem epistolarum satis magnam eorum legimus, ex quibus talem rationem exstitisse patet, plurimarum tenor idem est, omnia observans, judicans, vituperans. Praecipue marchioni diffidebant timebantque, ne imperatorem aliosque principes ad acrius bellum corriperet.

---

66) Ex arch. Bamberg.

67) Sic ipse fratri scripsit XIV. decemb. Ex arch. Wimar.

68) Hermann Lugelein et Asmus von Eberstein.

69) Cfr. litteras Alberti, Moguntiae XXIV. decemb. Ex arch. Wimar.

Albertus autem dux copias per fines Friderici Palatini, super Moguntiam trans Rhenum, deinde in sinistra fluminis ripa Confluentes produxit, unde anno exeunte imperatorem Andernacum secutus est. Jam Albertus Brandenburgicus et archiepiscopus Trevirensis, etiam oratores a Ludovico missi adfuerunt. Adolphus autem Moguntinus non adfuisse videtur, jam enim morbo vexabatur[70]).

Cujus anni ultimis diebus tandem de unione Germaniae cum Francia quaedam acta sunt, quae quamvis non statim confirmarentur, spem tamen aliquam praebuerunt futurae societatis. Conditiones enim hae propositae sunt, ut et imperium et regnum Franciae XXX^{M} militum pararet, quos Ludovicus rex jam VIII. Januarii prope Arlanum[71]) convocaret Lucemburgiam invasuros, ita ut bello utraque in Rheni ripa gerendo, dux a Burgundia superiore et ab Italia intercluderetur, unde rumores sinistri advenire coeperant de unione Venetiorum, ducis Mediolanensis et regis Neapolitani cum duce Carolo vel unita vel ineunda[72]). Placuit autem, ut imperatore permittente rex illas copias etiam contra alias Caroli fines mittere posset, necessitate coactus. Ceteras conditiones si respicimus principibus mens fuisse videtur, ut illud foedus usque ad ruinam Caroli totam duraret. Placuit enim, ut altera pars inscia altera exercitum non dimitteret, Carolo a Novesio repulso bellum non desineret, vel saltem, si dux posthaec alteram partem aggrederetur, altera auxilio subveniret. Cui foederi praeter imperatorem quatuor electores Brandenburgicus, Moguntinus, Trevirensis, Saxo subscripserunt. Ipse autem imperator cum rege aliud quoque foedus icit ad mutuam terrarum tuitionem[72a]). Sed futura docebunt, quam inania omnia fuerint, neque enim rex aliud studebat, quam ut Germanos incitaret et imperator postero die oratores Danicos excepit. Sed priusquam haec narrantur, placeat ea propius adire, quae in adversariorum castris agebantur.

---

70) Prima Januarii ille quidem in consilio imperatoris non praesens fuit.

71) Arlon in fine Lucemburgiae.

72) Cfr. litteras Sigismundi ad imperatorem ex initio anni 1475 apud Chmel Mon. I, 2 p. 160—165; et litteras Bernensium apud Zellweger l. c. p. 136.

72a) Cfr. documenta apud Comines ed Lenglet III, 459—464, etiam apud Müller R. T. T. — Num Francofurti quid actum sit non inveni. Müller l. c. p. 670. Moguntiae foedus actum esse scripsit.

Carolus postquam bellum archiepiscopatui intulit, non omiserat, quin ejus rationem probaret. Ideo jam XVI. die Augusti Rupertus archiepiscopus litteras quasdam edidit publicas, se propter nimium aes alienum coactum fuisse, ut vectigalia dioecesi imponeret, quae quum quatuor status se daturos esse primo consensissent, postea repugnantia usos esse. Se ipsum reditu paene omni privatum aliam salutis viam non invenisse, quam ut Carolum ducem Burgundiae contra istam rebellionem auxilio advocaret[73]). Deinde quum imperatoris bellicos apparatus accepisset, principum copiis paulatim appropinquantibus Carolus ipse audaciora temptavit. Etenim prima novembris Adolpho Moguntino litteras misit invectionum contra Fridericum plenas, id prae ceteris expondituras eum pugnare pro principum salute omnium contra subditos rebellos. „Neminem, inquit, latet enim quanta labes principibus paretur, si dabitur, ut impune subditi adversus suos dominos exsurgant. Quod incendium etsi ceteri crescere gestiunt, nos exstinguere properamus." Sane imperatorem dixit magis partem esse, quam judicem, Hassicis eum se dedisse[74]).

Quibus imperator respondit, neque se Carolo invidere, neque partem esse, sed ex auctoritate muneris imperatorii hanc causam se suscepisse principemque pium ac justum gubernatorem instituisse. Utrum dux bellum incepisset ad Coloniensium damnum an utilitatem, illos optime scire. Sed si subditos rebelles ad obsequium vellet redigere, opus esse, ut ipse superiori pareret[75]).

De Novesii expugnatione atrocissime dimicatum est, sed quantumvis dux urbem urgeret „moribus nec Christianum nec principem decentibus" obsessos animus non defecit, sed crebris eruptionibus hostem invaserunt et vexarunt. Quas ut prohiberet, dux fossam et aggerem circa totum murum duci jussit. Ne his quidem Novesienses deterriti sunt, quominus eruptiones pergerent. Tum hebdomadas per sex continuas urbem glandibus et telis evertere conatus est. Ac verba ejus ex illo tempore relata sunt, opus esse

73) Bircken p. 804.

74) Chmel Mon. Habsb. I, 1. p. 120—122, sed multis quoque aliis locis inveniuntur.

75) Chmel l. c. p. 122—125.

ut una fieret e quatuor rebus, ut urbem vi caperet, aut ut ea se traderet, aut ut ab imperatore repelleretur, aut ut necaretur[76]). Ipse ingenti industria omnia administrabat. Ubi primum illuxit usque ad vesperum per castra currebat quam celerrime locum mutans. Modo fossatores exhortabatur, modo cunicularios adibat, Hollandos exercitabat, Lombardis consulebat, Anglicos admonebat, cum Picardis colloquebatur, centurionibus imperitabat, ipsiusque contubernales adeo urgebat, ut parum somnio fruerentur. Nec maxima pericula timebat, omnia semper curando et inspiciendo[77]).

Sed magna hominum et pecuniarum multitudo consumpta est; quae damna ut repararet exercitum in dies dux auxit. Atque initio obsessionis ab omnibus terris petierat, ut fossatorum, cuniculariorum, munitorum etc. aeque ac curruum maximum numerum admitterent. Sola Flandria ducentos quinquaginta currus et bis mille et quingentos homines misit. Mox nuntiis allatis Germanorum copias conduci ad Novesium liberandum poposcit, ut exercitus generalis pararetur. Quadraginta millia hominum his supplementis ipsi adventuros esse speravit[77a]). Ac magnae deinde et graves altercationes cum Flandricis, quantum nos scimus, statibus exstitere; terrae jam decem per annos belligerando premebantur; quae pace prius continua fructae erant. Negotium et commercium nimis impediebantur, murmures ab omnibus audiebantur[78]). Quod nunquam in terris tam divitibus auditum erat, tributum tritico et aliis rebus impositum est. Refert Meyerus[79]) censum actum et amortisationem spiritualium factam esse bonorum, unde maximas collegisset pecu-

---

[76]) Sic comes Nassoviensis Moguntiae narravit. Müller.

[77]) Cfr. praecipue Molinet.

[77a]) „Raynaldus in annalibus ecclesiasticis X, p. 551. ex litteris episcopi Caputaquensis ad cardinalem Papiensem. Hae litterae ducis cogitationes demonstrant: „Hic princeps constituit ab hac obsidione non nisi victor recedere nec etiam hoc oppido potitus militem ad hiberna lege militari remittet, hiematurus ut dicit in castris, non frigore, non glacie, non periculis deterretur. Nunc audito imperatoris adventu evocavit undique auxilia: sola Flandria X^{M} mittet, erunt haec supplementa plus quam XL^{M}; in annum sequentem bellum Gallicum parat, sociis Britannicis."

Episcopus Caputaquensis, Franciscus, fuit Ferdinandi regis Neapolitani apud Carolum orator per totum obsidionis tempus. p. 560.

[78]) Cfr. Gachard documents inédits concernant l'histoire de Belgique I, 259—266

[79]) Annales Flandrici fol. 361.

nias. Ecclesias enim coegit, ut pro omnibus illis bonis, quae intra sexaginta annos acquisierant, vectigalia trium annorum solverent. Hollandi quidem tantis exactionibus resistere conati sunt, sed Carolus non fuit, qui hoc ferret, ac Gandavi memores ducis iram provocare non audentes satisfecerunt[80]).

Atque eodem tempore quo his exactionibus murmures subditorum excitavit, litteras Sigmundi et foederatorum accepit bellum indicentes, quas ut ipsi traderet praeco Casparus Hurter tempore praeopportuno usus est; media in via duci eas obtulit. Berna! Berna! is exclamasse dicitur, dentibus infrendens. Mox nuntius de clade apud Ericortum accepta, de exercitu dissipato in castra venit.

Talis fuit Burgundionum conditio, quum Christianus rex Daniae prope castra apparuit. Qui post ea quae cum imperatore Rotemburgiae egerat, Romam profectus erat, reversusque in Germaniam longum rursus tempus apud imperatorem et deinde apud marchionem Onoldiae moratus erat, sine dubio id agens, ut bellum illud contra Carolum impediret. Nam quamvis ipse cum imperatore foedus tractasset etiam contra illum, tamen illius socius esse malebat, quam hostis, utriusque consiliis similibus. Atque Alberto Brandenburgico relicto super Erfordiam, Brunswigam[81]) in terras suas XXIV. Augusti die pervenerat, quo facto plus duos menses in finibus Holsatiae haesit, speculans, quae in Germania futura essent. Oratoribus autem Octobri mense ad Carolum missis[82]) ipse initio novembris profectus, XIV. die ejusdem mensis in oppidum Dusseldorpium pervenit, periculo prospere vitato, quum Colonienses de ipsius adventu certiores facti cum capere temptassent[83]). Comitati autem sunt regem Gerhardus de Oldenburg cum Adolfo filio, Magnus dux Megalopolensis, Fridericus dux Brunsvicensis, Johannes dux Saxo-Lauenburgensis, deinde comites de Ruppin, Lindow aliique[84]), omnes fere Germaniae septentrionalis princi-

---

80) Meyer fol. 363.

81) Hic nuntium accepit de Novesii obsessione. XII. Aug. Cfr. Hamelmann Oldenburgische Chronik p. 210.

82) Comines ed. Lenglet II, 215. (Chronique ancienne).

83) prope urbem Susatum. Hamelmann l. c. et Chron. Colon.

84) Cfr. relationem Saxonicam apud Müller. R. T. T.

pes, qui quamvis copias contra Carolum mittere jussi essent[85]), imperatore neglecto cum adversario commercium habuerunt. Omnes hi civitatum hostes erant aperti, omnes Carolum et regem protectores ipsis a natura datos esse arbitrabantur. Qui si arctiorem inter se societatem inirent, quae civitatum resistere poterat? Facillime sane iram Dettmari illius Lubecensis intelligimus. „Nec scivit quisquam, inquit, quid illis ad Rhenum agendum esset. Exstiterunt, qui eos spiritu coelesti tactos esse dicerent, ut pacem componerent inter Carolum et Fridericum, quoniam invitati Coloniam petiissent. Alii vero futurum cum duce foedus sese in animis habere censebant, ut illius auxilio adjuti civitatibus Germaniae inferioris potirentur“[86]). Ac maxime studia Gerhardi comitis Oldenburgensis timenda erant. Cujus terra quamvis parva esset, ipse tamen princeps fuit strenuissimus, Frisiorum civitatumque libertati infensissimus. Praeterea frater fuit Christiani regis, jam diutius conjunctus cum Carolo. Ac possessiones Oldenburgicae mediae interfuerunt inter terras Burgundicas et Danicas, iisque conjunctio facillime fieri poterat. Idem comes jam ea aestate Frisios aggressus erat, sed infeliciter pugnaverat et ab Henrico episcopo Monasteriensi et Bremensi cum sociis in oppidum Oldenburgiam inclusus erat. Qui solum intercedentibus episcopis Osnabrugensi et Verdensi et comitibus de Hoya et Teklenburg ruinam effugit, quam Henricus ei minatus est. Quem sine dubio cura atque aemulatio illorum principum impedivit, quominus Gerhardum perderet. Is autem conditiones non perfecit, quae ei impositae erant, sed bello interea ante Novesium erupto Henricus episcopus deterritus est, quominus altera expeditione fructus victoriae perciperet[87]). Ger-

85) In aestimatione, de qua prius diximus, jussi sunt milites ad exercitum imperii mittere: dux Megolopolensis mille, dux Guilielmus Brunswicensis cum filiis mille, Fridericus de Luneburg ducentos, rex Daniae pro terris Germanicis mille. „Aber wir möchten ratten, das man in an dem end diczmal nit anslug, das er desst stattlicher zur see helf.“

86) Dettmar ed. Grautoff. II, 362.

87) Gerhardus promisit se in urbem Wildeshusen colloquii causa venturum esse; sed non venit. Ad quod chronicon Bremense (manuscriptum, ex sequenti saeculo) observat: Dat auerst de kriech eynen tydt lannk inn dage gesettet wart, dat holp mede to der stadt Nusse belegerung. Ex arch. Bremensi.

hardus vero in castra Burgundica profectus mox cum Carolo pactus est. Qui jam exeunte novembri foedus contra Frisios fecerunt; de illorum enim libertate exstinguenda utriusque consilia convenerunt, quare ab alia parte Frisii auxilium Bremense quaerere coacti sunt. Gerhardus autem se cum VI^{C} equitibus et IV^{M} peditum seu mari seu terra duci Frisiam invadenti auxiliaturum esse promisit, cujus terrae partem orientalem ipsi duci haereditariam iterum subjugaret. Praemium vero terras Mormer, Aurich, Jever accepturus erat, quibus Carolus totius Frisiae praefecturam se additurum esse promisit cum reditu bis mille florenorum annuo[88]. Nec dubitandum esse puto, quin ceteri principes similia in animis habuerint. Contiguarum domini terrarum, fuerunt, qui viribus unitis, adjuti per Carolum summas mutationes in septentrione perficere possent[89]. Sed eorum studia non tam prope quam Gerhardi ad Burgundica Caroli consilia accesserunt, prae ceteris autem id appetendum esse videbatur, ut Carolum ab archiepiscopatu Coloniensi avocarent, quos non lateret totum imperium pro Colonia arma esse capturum. Itaque Christianus statim Caroli animum ad pacem convertere studuit. Ac primum quidem id petiit, ut statim castra removeret, promittens, si id factum esset, se intercessurum, ut pax inter eum et imperatorem fieret. Quod dux negavit dicens se malle mortem obire, quam sic turpiter pedem referre. Id vero regi permisit, ut cum imperatore ageret, quibus conditionibus is bellum componere vellet; quo facto rex cum Hugoneto ducis cancellario et cum domino de Humbercourt multa disseruit[90]. At quae dux petiit, ut fierent, immodica fuerunt; rex enim medio decembri mense Coloniam profectus oratori Saxonico Nicolao de Kökeritz exposuit ducem Carolum petere IX^{CM} florenorum pro impensis in bellum factis[91]. His acceptis se statim abiturum esse. Quis tantas pecunias solvere po-

88) Hamelmann l. c. p. 258.

89) Dat mene ruchte was, dat se begerden van deme hertegen to komende in ere land myt herschilde jegen die stede in eren landen, se welden em helpen myt alle erer macht.“ Dettmar II, 363.

90) Molinet I, p. 74. Le Roy se tinst à Listriby une petite ville outre le Rhin, à deux lieues de Nusse, ou monsieur le chancelier et le comte de Meghe, Seigneur de Humbercourt alloient souvent devers luy.

91) Sic dux Albertus ad Guilielmum scripsit. Ex arch. Wimar.

terat! Nec postea rex talia proponere ausus est. Verum Colonia legatos misit ad imperatorem aditum petituros liberum.

Ille autem ubi de adventu regis nuntium accepit, primo indignatus fuit, periculi haud immemor, quod Caroli et Christiani conjunctione existere posset, statimque virum versutum misit exploraturum, quae agerentur. Ceterum per Ludovicum de Eyb marchioni nuntiavit se invito a rege talia suscipi, ideo usque ad marchionis adventum se nihil acturum [92]). Nunc vero legati Danici in urbem Wiesbaden eodem tempore ad eum venerunt, quo litteras a Jolantha ducissa Sabaudiae accepit idem petentes. Sed quamvis plerique pacem fore sperarent optarentque, certa responsione legatis non data imperator se proximis diebus Confluentes petiturum eoque cum ceteris imperii principibus conventurum esse dixit, quo si rex se conferre vellet, eum admissum iri. Ducissae autem Sabaudiae nihil respondit [93]), magna vero celeritate super Confluentes Andernacum profectus est. Ubi praesentibus Trevirensi archiepiscopo, Alberto duce et marchione Alberto alteros legatos regis prima die novi anni excepit. Qui cum regis intercedendi voluntatem exposuissent, deliberatione facta, Albertus marchio impetravit, ut propositum repelleretur, praescribens, ut rex Coloniae maneret, quoad ab imperatore ipso vocaretur. Nihil esse salutis in hoc regis proposito dixit, ducis autem voluntatem redeundi eo retardari sperantis tali modo se cum belli honoribus rediturum. Sic prohibuit, ne cetera oratores pronunciarent, imperatorem secum abripiens et ad bellum stimulans.

Quo eodem die oratores ex urbe Sinzig missi auditi sunt, qui marchione pollicito privilegia ac jura ipsis servatum iri, urbis deditionem obtulerunt, quo facto episcopus Trevirensis praesidio ibi collocatus est. Insuper ab urbe Linz legati advenerunt urbem se dedituram esse promittentes ea conditione, ut neutram partem

---

92) XXI. novembris. Ludov. de Eyb ad march. Ex arch. Bamberg.

93) Dux autem Albertus Saxoniae, quem eadem ducissa litteris adierat, se postea de voluntate ejus cum imperatore locuturum esse respondit, cum hoc tempus ad id non aptum esset. Cfr. litteras ducissae (XII. nov.) et Alberti (XXIII. decemb.) in arch. Wim., Müller l. c. p. 674. Etiam ad marchionem litteras misit; cfr. litteras apud Schilling l. c. p. 219.

94) Cfr. relationem Saxonicam apud Müller R. T. T.

sequi posset. Sed responsum est imperatori eam subjectam esse, posci igitur deditionem omissis conditionibus. Atque solus marchio exstitit, qui haec tam acriter tractaret; ipse primas copias miserat, ipse summas consumpserat pecunias. Quae ex epistolis hoc tempore scriptis satis superque patent[95]).

Sed etiam Colonienses aeque ac electores Moguntinus et Trevirensis, quibus periculum proximum imminuit, summam operam dederunt, ut exercitum retinerent, non tam pugnandi cupidine, quam defendendi causa. Lentius enim copias instruxerunt atque Moguntinus ille XIV^C modo homines misit, quamvis tria millia esse diceret; sed eo amplius imperii auxilium tutelamque postularunt. Ac praecipue Dr. Heseler orator capituli et Peter von der Glocken Coloniensium consul apud imperatorem multum valuerunt. Sic septima tandem die Januarii Carolo bellum indictum est et ab imperatore et a singulis principibus litteris missis, quas dux verbis superbissimis excepit. Neque timuit exercitum tali modo convocatum, a tanto principum numero ductum, cui nemo praefectus. Ita se velle bellum gerere praeconi respondit, ut Germania superior satis cognosceret, quid valerent arma Burgundica[96]). Nimis tamen parvi pendit periculum, nam excommunicatus jam prius per papam, idem in proscriptorum numerum nunc relatus est, terris omnibus, quae imperii essent, ab imperatore vindicatis[97]).

Deinde oppida Remagen et Linz aliaque loca minoris momenti obsideri coepta sunt. Quorum Remagen jam septima Januarii ad imperatorem misit deditionem oblaturos. Tamen quum accepto

95) „Werden vns diese woche von andernach wenden vnd gen Collen zcu zcihen vnd furder, des ich dann gantz mich versehe, vngeschlagen von einander nicht werder kumen — auch so ich mich mit dem proboniger schlahen soll, gebe ich nimant die schult dan dem Marcgrauen, der vns dann an den tantz furet, es sey vnns liep oder leyt.“ Andernach Sonntag Circumcisionis domini a. 1475. Ex arch. Wimar.

96) Müller R. T. T. p. 681. ex Bircken.

97) XV. Januarii marchio Albertus ad filium scripsit: „nachdem er in den höchsten pann dos babst vnd des keysers acht ist, doch find man der auch wol ein wege. so wil der keyser er soll der land, die er empfangen vom Reich Inn hat abtreten. das tut der herczog nit. Ex arch. Bamberg. — Bulla excommunicationis papalis de XIII. novembris anni 1473. apud Comines ed. Lengl. III, p. 262. invenitur; quae nullius fuit momenti.

responso reverterent, Burgundionum manus apparuit, a quibus deditio non permissa. Esse ducem tanta duritia et severitate, ut illi, qui id fecissent, capitis damnarentur. Adirent eum ipsi oratores, ipsi ejus superbiam cognoscerent. Quorum verborum quid verum quid falsum esset, ut deditio retractaretur, non claruit, tamen quum urbs acriter oppugnari coepta esset, XV. ejusdem mensis se dedidit[98]). Sola igitur urbs Linnensis restitit, sita in dextra fluminis ripa, ab armigeris mille defensa, imperitantibus Eberhardo de Arburg et comite de Manderscheid[99]). Quam ante urbem marchio Albertus cum suis copiis et Moguntinis ac Trevirensibus castra posuit, aedificato in altera ripa propugnaculo, ut hostes propulsarentur[100]). Qui plus sex millia secum non habuit[1]). Loca autem vicina et aditus ad urbem Henricus Hassiae defendit, conjunctus cum illis militibus, quos imperii civitates miserant. Qui considebat in castro Dedemburg. Maxime autem opportunum ad hostes prohibendos ab illa urbe obsessa oppidum Remagen situm est in sinistra fluminis ripa, ideo Albertus dux cum Saxonibus et Trevirensium aliqua manu, quorum omnium numerus mille et centum non excessit[2]), ibi initio Februarii castra posuit. Etiam in oppido Sinzig praesidium fuit Trevirensium et Augustanorum, ipse archiepiscopus ibi consedit. Singulae quoque manus in locis vicinis consederunt, ut Eberhardus comes Wirtembergensis[3]) in Ketich etc. Imperator vero ac principia cum nescio quanto numero militum Andernica manserunt, vicarium vel praefectum generalem nondum nominaverat[4]), immo quae fierent ipse

---

98) Ex arch. Confluent.

99) Chronicon Colon. ad a. 1475.

100) Ex arch. Confluent.

1) Ex arch. Wimar.

2) Numerum militum ex relationibus Saxonicis hausi, qui mihi aliquanto minores esse videntur, nam jam antea XX^M adesse dicebantur.

3) Voluit imperatorem cum Palatino conciliare, sed imperator omnia recusavit. Ex relat. Saxonica.

4) II. Januarii Hermannus Lugelein scripsit: Die k. m. hat auch noch keinen hewbtmann geordnet. So gibt der Marcgrafe mit worten fur, das ers gar nicht sein vnd got In wol davor behuten sulle. Sed omnes fere eum praefectum fore putabant. XVI. decembris idem scripserat: Die k. m. hat inn geheym bernhart von Schonberg horen lassen, der Marcgraue sey der elste vnd werde dis zcoges hewbtmann seyn.

praecepit. Quod bellum gerentibus minimo fuit commodo, quum nimis remotus esset et imperata saepius retardarentur.

Tam propter hoc, quam propter morbum, quo Albertus marchio usque in medium Februarium laboravit, accidit, ut dux Carolus obsessam urbem et victibus et hominibus reficeret. Cujus consilii Albertus ille quidem dux Saxoniae jam IX. die Februarii certior factus per Colonienses, ut hostes prohiberet, a marchione et imperatore majorem copiarum numerum postulaverat, quo non accepto, prohibere non potuit, quominus hostes circiter bis mille, quibus Olivarius Marcanus praefuit, XVII. Februarii mane montibus descendentes propugnaculo post magnam stragem expugnato per fluvium viros victusque in urbem adducerent[5]). Quibus rebus tam male gestis Albertum ducem diutius manendi animus omnino reliquit. Qui jam ineunte Januario se tantum usque ad mensem Februarium posse remanere dixerat, quum milites in tres modo menses instructi essent. Cui imperator VI[M] florenorum obtulit, quos Colonienses pensuri essent, petens, ut usque ad II. Aprilis exercitum sequeretur. Sed Albertus dux X[M] petiit. Ac multi per Januarium et Februarium questus, monitus, proposita exstiterunt, praesertim cum vasalli se diutius non mansuros esse declararent, quam usque ad XVII. Februarii; non esse bellum contra hostes Saxoniae, pacem oblatam esse, cur imperator eam non acceptasset? ipsis non esse pecuniam, non vestimenta. Quibus Guilielmus ille dux severe respondit (fuerunt enim praecipue vasalli Guilielmi, in primis Berhardus de Schomberg), mandans, ut duci Alberto parerent, quum fieri non posset, ut propter ipsos imperator pacem componeret. Esse imperium defendendum; ne prohiberent, quominus dux repelleretur. Nec quidquam effecit, obstinaces enim illi neque mansuros se neque abituros esse dixerunt, donec iterum severius praescripsit, ut Alberto omnibus in rebus obedirent. Quae cum ita essent, amplius etiam Saxones indignati sunt, quum imperator XXX. Januarii episcopos, comites dominosque ceteros intra ipsorum fines sitos auctoritate imperatoria ipse citaret, ut usque ad V. Martii

---

5) Olivier de la Marche l. c. lib. II. cap. V. Cetera ex relatione Saxonica, quae praecipue imperatorem arguit, quod copias non misit. Cfr. etiam Minutoli Kurf. Friedrich I. Anhg. p. 21—22.

Coloniam peterent. Itaque Albertus dux iratus post auxilium illud urbi Linnensi a Burgundionibus latum copiis in urbem Sinzig missis ipse imperatorem adiit. Ac X ^{M} florenorum poposcit, insuper chirographam imperatoris manu signatam. Actum est quinque per dies, postremo per ostiarium, qui tandem nuntiavit respondisse imperatorem, qui manere nollet, se pati abire, se abituros non posse retinere. Quo accepto Albertum quum reditum pararet, jusso Saxones Andernacum venire, media nocte archiepiscopus Trevirensis adiit, admonuit, ad imperatorem reduxit. Dux autem octo dies se mansurum esse, ut cum Coloniensibus ageretur. Quibus praeteritis, quamvis nondum ad optatum venisset, a marchione commotus est, ut cum parte quadam exercitus, CC vel CCL equitibus usque ad festum Trinitatis maneret, promittente marchione se acturum, ut X ^{M} florenorum acciperet[6]).

Tum Linz quoque urbs ad deditionem coacta est. Nam quum convenisset, ut urbs VII. Martii oppugnaretur, hoc die cives certiores facti oratores miserunt. Repulsis quae petierunt id tandem placuit, ut cives in gratiam se dederent et salvi cum bonis ex urbe ducerentur. Tamen milites promissis non steterunt, bona diripuerunt, urbem vastarunt. Cujus flagitii milites praesertim marchionis arguti sunt, quas Albertus dux maxime iratus coegit, ut omnia restituerent. Sed jam aperta exstitit seditio, pars militum domum abiit, aliae manus praecipue Trevirenses et Moguntinae ante urbem se conglobarunt, minitantes se vi usuras contra imperatorem, quando cum ceteris militibus descensurus esset. Quas ut depelleret Henricus Hassicus, qui urbi tum praefectus erat, satis magnas vires non habuit[7]).

Quo tumulto tandem sedato cum via Coloniae aperta esset, satis lente huc processum est. Jam antea autem plura jussa erant. Colonienses enim Februarii parte posteriore locum occupaverant contra Novesium trans Rhenum situm, saxa vocatum, quia collis fuit saxosus. Quos postea Henricus Hassicus secutus est et aliae quoque copiae. Etiam duces Juliacenses jussi sunt illis auxilio

---

6) Ex relationibus Saxonicis in arch. Wimar. Cfr. Müller.

7) Cfr. relationes Saxonicas. Minutoli Kurf. Friedr. I. Anhg. p. 18.

venire. Simul XXVI. die Februarii imperator edixerat, ut terra Westphalica duo millia hominum pararet, quibus ipse duces missurus esset, ad tuendam dextram fluminis ripam, quorum pars jussi sunt Tuitium proficisci, pars saxis illis praesidio esse[8]). Civitatum vero paucae advenerant, quas cum imperator jam Francofurti[9]) denuo citasset, sub poenis gravissimis XXVIII. Januarii ut usque ad V. Martii quartam partem omnium virorum mitterent mandavit, qui munus militiae sustinere possent, tam intra muros, quam in ipsarum territoriis aliisve locis[10]). Durum sane civitatibus, sed quo factum est, ut paullatim omnes fere proficiscerentur. Praeter quas duci Sigmundo subditi et foederati[11]), ipsi Leodienses[12]) vocati sunt. Denique Schaffriedus comes Leiningensis Lucemburgiam[13]) et episcopus Monasteriensis Zutphaniam[14]) invadere jussi sunt. Jam undique Caroli exercitum circumdare et usque ad internecionem caedere placuit. Nam fore speraverunt, ut etiam cum Ludovico rege ad certum finem ageretur. Qui, cum oratores Andernaci cum imperatore pacti essent, de studiis Christiani certior factus spe amissa belli acriter a Germanis gerendi alteros misit legatos ineunte Januario[15]), qui postquam multa questi sunt de studiis Christiani ac de principum voluntatibus Germanicorum, ut bellum finiretur, foedus illud jam ictum ita reducere conati sunt, ut juxta fines modo regni et imperii alter alteri subveniret ad mutuam tutelam. Sed ad diffidentiam regi adimendam placuit imperatori, ut consilio principum vocato de rebus Franciae simul cum propositis Christiani deliberaretur praesentibus Ludovici legatis[16]). Danica cum repulsa essent, convenit, Mediomatrici deliberationes de foedere Gallico ad finem perduci. Alii autem

---

8) Cfr. Chmel Mon. I, 1. p. 429. p. 430—431.

9) Hoc H. de Brandenstein XXV. decembris ad ducem Guilielmum Saxoniae retulit. Ex arch. Wimar.

10) Müller l. c. p. 682 ex Bircken.

11) Chmel Mon. I. 2. p. 170. Wurstisen Baseler Chronik ad a. 1475.

12) Chmel Mon. I, 1. p. 303.

13) Chmel Mon. Habsb. I, 1. 432.

14) Chmel Regesten II, p. 674.

15) Chmel Mon. Habsb. I, 1. 282—284.

16) Imperator ad march. XI. Jan. Ex arch. Bambg.

oratores, Schaffriedus ille de Leiningen et Dr. Heyden ad regem ipsum missi sunt, ut acriter bellum gestum iri dicerent atque cum eo deliberarent, num dux Lotharingiae ille quoque ad commune foedus adduceretur [17]). Quod imperator maxime extendere cupivit; Sigmundum quoque rursus invitavit, ut particeps fieret. Qui hoc tempore imperatoris studiis non admodum confisus, quum timeret, ne ipsius impensis pax fieret, tergiversando recusavit [18]). Sed cum Ludovico tandem ad finem perventum est. XXV. die Martii [19]), dum Dr. Heyden ille cum regiis oratoribus apud ducem Renatum agit, nova pactio facta est ab imperatore et Johanne Tercelino atque Johanne Parisiensi [20]) missis a Ludovico, quo numerus militum ab utraque parte mittendorum ad XX^{M} reduceretur, quibuscum rex infra mensem invaderet Lucemburgiam [21]). Deinde et contra Palatinum, qui cum Carolo conjunctus semper in utramque partem timendus esset, pacti sunt ea conditione, ut bello per imperatorem suscepto contra illum rex subsidia mitteret [22]). Denique matrimonio inter Delphinum et Kunigundam imperatoris filiam faciendo studuerunt, ut foedus firmissimum redderetur [23]). Quorum alter insuper alteri auxilium promisit contra omnes, quos oppugnaret aut a quibus oppugnaretur, praecipue contra subditos rebelles [24]). Qui jam consilium cepisse videbantur aliquod per tempus, ut omnes res orbis Christiani ad ipsorum voluntatem communem regerent, concilio convocando universali [25]).

---

17) Chmel Mon. I, 1. p. 300—303.

18) Chmel Mon. I, 2. p. 160—165 (Sigmundi responsum).

19) Hoc fuit post reditum eorum, qui a duce Carolo prorogationem indutiarum cum rege factarum frustra petierant.

20) Eorum instructio de XIII. Martii apud Comines III. p. 371.

21) Du Mont corps diplomatique III, 499 (Müller Luenig). Festum Gregorii hic falso scriptum est pro Georgii. Hoc foedus publicatum est Parisiis VII. Aprilis cfr. Chroniques de Louis XI, apud Comines ed. Lenglet II. p. 115., a rege vero confirmatum XVII. ejusdem mensis. Comines III, 467—469. Nescio quo errore hic XXX^{M} militum pro XX^{M} scripta sint.

22) Comines ed. Lenglet III, 469—471. Hoc loco annus 1476 falsus est.

23) Chmel I, 1. p. 295.

24) Comines ed. Lenglet III, 465—467.

25) Extracta ex scriptis per nuncium ex Hungaria ex arch. Dresdensi. — De dispositione Ludovici copiarum cfr. Duclos histoire de Louis XI. II, 167.

Sane necesse fuit, ut Novesiensibus auxilium celerrimum ferretur, quibus periculum atque miseria jam diutius usque ad extremum venerat. Etenim quamquam inter sollemnia illa in honorem regis Christiani celebrata a Burgundionibus, V^C^ et quinquaginta milites cum magna salis petrae multitudine in urbem intraverant animosque refecerant, tamen hominibus hac manu in tantum auctis mox victuum inopia coeperat gravissime premere. Itaque versus finem decembris vaccarum tres reliquae erant, ut infantibus saltem lac praeberent. Cetera per magistratus in horreum contracta sunt, unde singulae portiones non satis magnae civibus militibusque distribuebantur. Christi nataliciis ultimam carnem gustarunt, tum melli et ciceribus usque ad pascha fructi sunt. Vini tantum et cerevisiae admodum satis habuerunt. Maxima sane fuit inedia. Quo magis admirandus civium militumque vigor atque constantia Hermanni summis est laudibus efferenda. Qui fame enecati non destiterunt, ut eruptionibus crebris hostes urgerent, propositis promissisque a duce; quamvis maxima essent, non indulgentes, Coloniae et imperio fidelissimi[26]). Sed ducis animum non vicerunt. Neglectis enim murmuribus subditorum, neglectis exhortationibus Anglici regis, ut ad bellum contra Ludovicum parandum milites abduceret, magis in diem obsessos urgebat, novis et inauditis machinis, cuniculis, tormentorum multitudine immensa.

Cujus conditio non satis opportuna fuit, hostes enim ab omnibus partibus exstiterunt. Tamen belligerandi cupido magis in diem crevit, nam postea bella ipsi nunquam finienda esse cognovit, omnes hostes ulcisci cupivit. Totum fere orbem christianum sollicitavit, aut ut ipsius studia sequerentur, aut ut ipsius hostes fierent. Certe inde ab hoc tempore bellum intra ejus fines non jam desiit. Qui Januarii die XXX. cum Galeatio Sforza duce Mediolanensi foedus icit, ut alter alteri IV^C^ armigeros cum senis equis submitteret aut LX^M^ ducatorum penderet. Contra omnes pacti sunt, „etiam si tales essent, de quibus fienda esset specialis mentio,“ Cujus foederis conscia fuit Sabaudiae ducissa, illius enim opera foedus ictum atque per terras Sabaudicas iter facien-

26) Wierstraat: ind wes yn die heren schreuen
van Coln daby sint sy bleuen.

dum erat[27]). Neapolim vero jam prius dux Antonium fratrem spurium miserat oratoresque regis totum per ver in castris fuerunt[28]). Etiam Venetiani, Mediolanenses, Arragonenses, Hungarici, Britannici, Anglici oratores castra petierunt, praeter quos ex Germania Palatini, Juliacenses[29]). Qui quae agitassent, si omnia sciremus, omnium studiorum politicorum in illis castris centrum fuisse fortasse pateret. Praecipue in Italia sinistra acta sunt. Apud lacum Lemannum et inde a Geneva usque ad Lugdunum jam decembri mense milites Lombardici consederunt, rumores sinistri pervulgati sunt[30]).

Magnae erant angustiae, sane pax optanda videbatur. Christianus igitur rex medio Januario mense admissus est. Actum est de pace componenda, praesentibus marchione, duce Saxoniae, archiepiscopo Trevirensi cum ceterorum legatis. Conditiones autem de quibus cum rege convenerunt, in septem capita cadunt: I., ut dux abiret, nomen advocati dioeceseos remitteret, totaque hac discordia Coloniensi omnino se abstineret; II., ut cum civitate Coloniensi certam pacem faceret; III., ne Sigmundum ejusque foederatos ulcisceretur; IV., ut aequam et bonam pactionem iniret cum comite de Meursia et civitatibus omnibus, quibuscum discordiae ei essent; V., ut comitem de Wuertemberg aliosque captivos omnes redderet; VI., ut imperatori permitteret intercessionem ad pacem cum Ludovico rege componendam; VII., quum commeruisset, ut omnes ei terrae et homines adimerentur, constitutum est, ut imperator de hac re extra pactionem a rege propositam deliberaret cum imperii principibus; placuit tamen conditionibus ceteris a duce acceptis, ut rex etiam hac in re intercederet[31]). Quas con-

---

27) Du Mont corps diplomatique III, 496. Guichenon histoire genealogique de la maison de Savoye Turin 1778, II. p. 140 adjecit huic foederi ducem filium Iolanthae accessisse („auquel le duc son fils fut compris").

28) Molinet I, 75. XIII. Martii a. 1475. Mediolani fuit, unde Neapolim profectus est. Ex tota Italia mercenarios conduxit. v. Rodt, Die Feldzüge Karls des Kühnen etc. I, 443 ex Corio storia di Milano 1828.

29) Cfr. chronique ancienne apud Comines ed. Lenglet II, ad a. 1474 et 1475.

30) Zellweger Schweizer Archiv 1847. V. p. 136. Illi milites circa natalicia Christi Nicolaum de Diesbach et Johannem de Sillinen a rege Ludovico redeuntes ceperunt. Gingins-la-Sarra in Mémoires de la société historique de la Suisse Romande VIII, 161.

31) Müller R. T. T.

ditiones cum Christianus rex XXXI. die Januarii[32]) in castra Burgundica revertisset Carolus repulit. Nam quamvis invasionis poenas non repeterent, consilia tamen ulciscendi Helvetios, Ludovicum aliosque hostes prohibuerunt, quominus eas acciperet. Minime autem in animo habuit, ut illis consiliis se abstineret, quamquam hujus belli prospere finiendi spes admodum parva exstitit. Qui quae vi armorum non potuit perficere, tunc dolo et proditione perducere temptavit.

De omnibus enim, quae in exercitu Germanico agerentur et quae singulis principibus studia ac consilia essent, per regem Christianum facile certior factus est. Qui praecipue consiliis et auctoritate usus est Alberti de Klitzing, viri ad has res tractandas aptissimi, qui praepositus ecclesiae Brandenburgicae priore tempore marchioni Alberto a consiliis fuerat et ad aulam regis Christiani transgressus tunc quoque multum valuit apud marchionem. Comitatus est regem Andernacum, ibi quae esset conditio et voluntas ipse spectavit. Itaque quum maxime opportunus videretur, per quem Carolus marchionis animum sibi conciliaret, X. Februarii ducis nomine marchioni exposuit, Carolum esse paratum ad omnes res faciendas, quibus amicitia inter ipsos conservaretur et augeretur atque pactio fieret, quum id sibi existere mallet cum marchione quam cum alio principe Germaniae. Nam ei fuisse semper amicitiam cum patre Philippo et esse maximam in Germania potestatem ac sapientiam his in rebus. Omnes conditiones marchioni remisit, ducem omnes accepturum esse pollicitus. Denique ad proditionem eum aperte invitavit. Sciret imperium tali viro imperatore non bene valere; immo omnibus in partibus diminui et laedi; id agendum esse, ut aliam ad rationem provideretur. Dux igitur Alberto imperium obtulit; vel Friderico mortuo vel vivo quod valeret velle se praestare ad id perficiendum, pollicitus suffragia et Ruperti Coloniensis et Friderici Palatini, quamvis Alberto cum illo esset inimicitia, se impetraturum. Si vero marchio imperium non ipse affectaret, filio se idem auxilium praestiturum. Verum quae marchio respondit (XVIII. Febr.), hanc spem detru-

---

32) Comines ed. Lenglet II, 216.

serunt. Amicitiam sibi fuisse cum duce Philippo sed nunquam pactionem. Ceterum quum dux hostis esset imperatoris, nihil sibi cum eo agendum esse, pace vero facta, se amicitiam non repulsurum esse. Klitzingio autem se mortem praeferre scripsit, quam ut versus finem vitae per se vel per filium rem tantae turpitudinis susciperet. Tali enim proditione consilia sua perficere neque cupivit neque potuit, sed potius bello contra hostem stirpis Germanicae gerendo, non conspirans contra imperatorem sed eum secum corripiens. Qui imperatori totam rem manifestavit, id modo petens, ne cum aliis litterae communicarentur[33]).

Quo eodem modo Albertus de Klitzing repulsam tulit, quum medio Februario[34]) imperatorem ipse adiret cum conditionibus, quas dux proposuit, prioribus non acceptis. Atque quum imperator bellum a Carolo contra fas jusque susceptum eundemque propter clientelae perfidiam damnandum esse censuisset, dux talem bello rationem esse omnino oblitus pacem modo compositum iri voluit inter imperatorem principesque et ipsum, ut partes belligerantes. Quamquam patroni nomen archidioeceseos se depositurum esse promisit. Ceterum foedus cum Ruperto factum non dimittens proposuit, ut imperator cum papa discordias inter ipsum et Colonienses dijudicaret, petito, ut usque ad hoc tempus quae quisque loca expugnasset ipse retineret. Deinde postulavit, ut Alsatia Ferrettaque sub tertii alicujus ditionem traderentur, donec imperator quaestionem institueret totamque rem dijudicaret. Quod si Sigmundus non acciperet, rem in medio esse relinquendam. Cum rege autem Ludovico ipsi pacem fieri posse negavit, quia cum duce Britanniae et Angliae rege contra eum conjunctus esset, tamen si imperator illos ad pacem faciendam permovisset, sese satis habiturum. Denique petiit, ut proximo mense Julio Mediomatrici ageretur.[35]).

---

33) ex archivo Bambergensi.

34) Hae Klitzingii sine dato exstant, patet tamen ex relatione Saxonica de XII. Februarii Albertum de Klitzing pridie per castra Saxonum, ubi cum Alberto duce actum est, ad imperatorem se contulisse. Tum has eum conditiones attulisse puto, quae postulatis ab imperatore plane respondeant.

35) ex arch. Bamberg. Praeter ea quae attuli in zedula exstant: Item die loslassung aller gefangenen wird gefordert. — Item von Württemberg wegen ist auch geredt vnd stet noch in handel. Henricus comes Würtemb. a Carolo in vinculis tentus est.

Quae proposita imperator non accepit, quamquam quae responderit nescimus.

Quibus in gerendis rebus Christianus aeque ac Klitzingius ille multum egerant cum Nicolao de Kökeritz, de quo jam supra diximus, et cum duce Alberto ipso. Petierat enim rex, ut Nicolaus Albertum de Klitzing ad imperatorem comitaretur. Hoc quamvis Albertus non permitteret, tamen ad imperatorem se de hac re scripturum esse respondit [35a]), neque latuit adversarios, quam parva Alberto esset manendi voluntas. Itaque Carolus ipse ut prius marchionem, sic ducem tunc adiit, non ad apertam provocans seditionem, sed ut totum bellandi animum ei adimeret, persuadendo hoc bello jura modo principum defendi. Qui causas exponens, cur Ruperto subvenisset, eam se dare operam scripsit, ut „haec agens flagitiosissimum morem atque exemplum subditorum offendendi dominum suum et adversus eum tam superbe insurgendi auferret, quae omnia ad utile principum decus imperii et cujusvis rei Germanicae emolumentum etiam forent.“ Rupertum enim nullo jure, nulla auctoritate publica, cognitione vel judice damnatum, sed insolenti vi subditorum ejectum esse. Suum esse ut principis, ut eum in possessione restitueret, neque se „ad derogationem imperii, sed ad ejus decus, incrementum et commodum cunctorum principum Germanorum“ laborare. Cui Albertus dux respondisse non videtur, tamen coram imperatore ejusdem sententiae verba fecit satis multa. Itaque quum Carolus ea audivisset et Albertum copiarum partem dimisisse, litteris denuo missis grates egit, ad omnia se paratum esse dicens, quae ille proponeret ipsius terris studiisque opportuna [36]).

Sic principes ipsos adversarios seducere temptavit, ita ut desertis imperatore et Coloniensibus consilia sua perficeret. Qui periculum tam parvi aestimavit, ut ne cum Francia quidem indutias prorogaret, quas Ludovicus acerrime petiit. Sed cum legati regis apud eum advenissent tantas conditiones postulavit, quantas rex

---

35a) Ex arch. Wimar.

36) Cfr. litteras de X. et de XX. Martii ex arch. Wimar., quarum primae etiam apud Müller. IX. Aprilis Ernestus frater Alberto scripsit, se earum exemplaria accepisse; petiit, quae Albertus respondisset.

concedere minime voluit, deinde verbis superbissimis coram iis usus est, dicens sibi esse amicos omnes qui Franciae finitimi essent, regem esse in summo periculo. Sed illa spes mox omnino detrusa est, quum rex paullatim omnes hostes secum conciliaret. Neque tamen dux Novesio recedere constituit, quamquam dominus de Ryvers, quem Eduardus rex Angliae miserat, instantissime ab eo petiit, ut omissa obsidione omnia ad commune bellum praepararet, quod priore anno decrevissent. Ne illa quidem eum deterruerunt, quae ab Helvetiis hoc tempore suscepta sunt. Hi enim omnia fere castra et oppida, quae aditum ex Italia tuentur, occuparunt et in toto comitatu Burgundiae rerum potiti sunt. Qui ob hanc causam imperatori recusarunt, quominus ad communem imperii exercitum Coloniam proficiscerentur, respondentes se id agere, ut potestates illas prohiberent, quae, ubi ipsi non essent, omni tempore Caroli studia sequerentur. Sigmundus vero et conjuratio inferior imperatori auxilia miserunt. Nequi parvi momenti erat, quod Renatus dux Lotharingiae, aliquot annis ante a Carolo coactus, ut foedus cum ipso faceret, tunc deserto Carolo ad illam conjurationem accederet, XVIII. Aprilis[37]). Qui dux Renatus pactus jam XV. ejusdem mensis cum rege Ludovico[38]) ab illo et ab imperatore invitatus XVII. sequentis mensis etiam ad foedus illud accessit, quod inter regem et imperatorem erat[39]).

Itaque undique hostes Carolo excitati ac bellum illatum est. Nam etiam rex Ludovicus quum pacem accipere non potuisset, primis Maji diebus contra Flandriam et Artesium castra movit. Ac feliciter pugnatum est, civitates omnes ad tuendos fines opportunae munitaeque aut vi aut deditione captae sunt. Praeterea imperatori rex maxime institit, ut tandem fortiter bellum inciperet. Aeterum enim tunc foedus proposuit, ad Carolum penitus opprimendum terrasque ad omnes occupandas, quae inter regem et imperatorem dividerentur. Quod Friderico minime placuit, sed fabulam illam de ursi captione oratoribus pro responso narravit[40]). Etenim quum

---

37) Chmel, Mon. Habsb. I, 1. p. 199.

38) Calmet, histoire de Lorraine II, liv. XXX.

39) Chmel, Regesta Friderici III. p. 676.

40) Hanc fabulam imperatorem, si narravit, non ante hoc tempus narrasse puto; Comines l. IV. c. 3. XXX. Aprilis rex oratores ad eum deputavit. Chmel I, 1. p. 295.

res ita essent, uti vidimus, imperator ducem tantis esse censuit in angustiis, ut omnem emergendi conditionem accipere coactus esset. Itaque studia illa Austriaca denuo tunc in medium prolata ad felicem eventum producere temptavit.

Die Martii enim XX.[41]) imperator cum electoribus Moguntino, Trevirensi, Brandenburgico comitumque magno numero Coloniam venit, quos post biduum Albertus Saxo secutus est[42]). Ibi litterae Novesiensium aderant, aut auxilium petentes celerrimum aut pactionem cum Carolo[43]). Quorum miseria et periculum vix ullo modo tolerari potuit. Albertus igitur marchio jam postero die urbem victibus instruere conatus, sed a Carolo repulsus est[44]). Tum consilio vocato de ope ferenda deliberatum est, sed cum copiae satis magna nondum adessent, Novesiensibus scriptum est, ut tres vel quatuor hebdomadas urbem tenerent, quo tempore praeterlapso subsidia certa adforent[45]). Quae litterae obsessis non advenerunt, quum nuntius aqua periret[46]). Tamen spe proximae salutis freti urbem non tradiderunt. Nam quamvis dux hoc ipso tempore multo etiam magis quam antea urbem premeret, tamen saxis per Colonienses occupatis, e quorum castris litterae glandibus inclusae in urbem mittebantur imperatorem appropinquare nuntiantes, deinde hostibus per inundationem ab insulsis depulsis, novam spem ceperant. Tamen imperator principesque diu Coloniae haeserunt, ut milites undique ex Germania atque ex Francia adventuros exspectarent. Magnum sperabant exercitum conventurum esse; cogita-

---

41) Chron. Colon. „Maendags nae Palmen".

42) Litterae ex arch. Wimar. E quibus patet, die XXI. marchionem conatum esse urbem victibus instruere („speysen"), quod omnes scriptores die post adventum factum esse narrant. Igitur diem illum adventus imperatoris, quem Chron. Colon. praebet, verum esse puto, alii enim alium diem tradiderunt.

43) Litterae VIII. Martii scriptae idem petentes a Burgundionibus interceptae erant. Molinet I, 93—95.

44) Molinet I, 108 refert IX. Aprilis Colonienses exercitum Burgundicum oppugnasse, ut inter hoc tempus Germani victus in urbem inferrent. XII. Aprilis similis pugna fuit; verisimile est Germanos pluribus vicibus conatos esse, ut urbem victibus instruerent. Quod obsessis nunquam quid profuit; certe Wierstraat de his conatibus nihil accepit.

45) ex relatione Saxonica de XXIX. Martii. Ex arch. Wimar.

46) Molinet I, 95—96.

tiones pacificae sepositae esse videbantur. Initio enim Aprilis marchio se non sperare scripsit fore, ut sine certamine discederetur[47]). — Sed lentitudine satis magna omnia parabantur.

Jam narravimus post deditionem urbis Linz duci Alberto per Marchionem persuasum esse, ut usque ad festum Trinitatis (XXI. Maji) maneret. Deinde imperator, ut Bonnam veniret, eum invitavit, ubi praesentibus Coloniae urbis consule et Dr. Heselero capituli legato de pecunia Alberto pendenda ageretur. Quod Albertus etsi invitus tandem acceperat, nisi illi nec senatum nec capitulum talibus de rebus per legatos esse acturos aperte dixissent, sed Saxonicis legatis Coloniam esse petendam. Quibus paulo post eo missis, dux interim se Coloniam secuturum et usque ad festum Trinitatis in exercitu mansurum promisit. Sed ibi pecuniam praesto non reperit, verum re tota jam pervulgata in summam invidiam adductus est, qui ab imperatore pecunias acciperet. Hac re maxime iratum ac dicentem statim cum suis sese decessurum imperator maneret certe rogavit ad Georgii festum, quo copiae Francicae advenirent. Quae ut faceret Albertus cum commotus esset, communis omnium opinionis ratione habita, ne princeps aut pauper aut justo minus patriae amans appareret, spem tandem pecuniae accipiendae omnem dimisit. Imperator vero voce promisit litteras, quibus Saxoniae principes quique barones in eorum territorio sederent, citasset, iis damno non fore; quod nescio an ob id quoque factum sit, quia Ernestus et Guilielmus duces imperatorem sollemniter appellaverant. Neque enim apud majores neque apud se unquam evenisse dixerant, ut citarentur, qui intra ipsorum fines essent, et Herbipoli praelecta aestimatione id ipsum esse constitutum, ut „principes, comites et domini in utriusque terra ipsorum ducum voluntati obtemperarent[48])." Atque Ernestus fratris consilio contentus erat, tamen, quae voce pomiserat imperator de litteris, qui-

---

[47]) quinta Aprilis, ex arch. Wimar. Marchio adjecit: „Der könig von frankreich sol vff Georgij mlt sevenzich tusent zu ross vnd zu fuss ... bey vns im felde sein zu solcher hulff, der wir auss dem reich allenthalben vnd hinfur tegelich warten." De pace agenda nihil dicit.

[48]) „das die selbigen Fursten Graven vnd Herren Aufsehen auf vns yetzlichen in seinem Lande haben sollten." Müller R. T. T. II, 1. p. 686.

bus Saxones citarat, ei minime suffecerunt. Fratrem igitur admonuit, ut chirographam ab imperatore studeret impetrare, ne litterae ipsis triumviris damno forent. Quam ob causam ceteris in rebus quam maxime posset, imperatori indulgeret, neve de politicis ipsius consiliis suspicionem ullam daret. Tamen foederis ab electoribus et imperatore cum rege Ludovico facti participem se non jam esse tum voluit. Petiit enim a fratre, ut, si foederis documenta nondum permutata essent, sigillum suum repeteret. Quare in documentis, quae Renatum Lotharingiae ducem in foederis societatem esse receptum declarant, Ernesti nomen non reperitur[49]).

Etiam cum ducibus Juliacensibus actum est. Qui jam Andernacum ad imperatorem legatos miserant, qui peterent, ne copiae Juliacenses ad exercitum venirent, quia propter Caroli vicinitatem id non possent. Sed recusavit imperator[50]). Quum vero litteris iteratis non commoti essent, ut venirent, IV. die Aprilis in jus vocati sunt. Consiliarii autem duces excusarunt, quia dux Guilielmus aetate jam nimis provectus esset, dein quod propter situm terrarum coacti essent, ut petitis a Carolo cederent. Quum vero polliciti essent ducem adolescentem VIII. die adfuturum, nomine imperatoris Albertus hoc temporis intervallum concessit. Idem in illos multa invectus est, dicens quo magis iis indulgeretur, eo majore studio cetera quoque eos officia neglecturos esse. Deinde sequenti die iterum adesse jussi cum venissent, mandatum est, ut e ducibus alter suo cum exercitu intra diem Aprilis X. ad imperatorem accederet. Imperatis autem his neglectis Caesar diem diei adjiciens spatium usque ad XIV. prorogavit. Sed non prius dux advenit, quam imperator nunciaverat, si Aprilis die XXV. non adesset cum militibus, utrumque non iterum citatum ipso facto poenas esse redditurum[51]). Mox autem rediit, copias non misit. Nec Johannes dux Clivensis venit, licet imperator XXVII. Aprilis definite eum ad-

---

49) Cfr. documenta de XVII. Maji et I. Junii apud Chmel Regesta p. 676, et Lünig Codex diplomat. I. p. 462. Cetera ex documentis Wimarianis, quorum pars apud Müller.

50) Müller II, 1. p, 691.

51) Chmel Mon. Habsb, I, 1. p. 433—438. Molinet I, 116.

vocasset reprobata omni excusatione. Principum vero, qui cum rege Christiano in castra Burgundica venerant, ducem Brunsvicensem et Megalopolensem Coloniae apud imperatorem fuisse legimus[52]), sed eos copias adduxisse et usque ad finem belli permansisse nullum exstat testimonium. Ipse autem Christianus spe reconciliationis amissa deceptus, quum ab Hamburgensibus fraude pecuniam accipere studuisset[53]), Coloniae cauponi „ad coronam" gemmas oppigneravit, quia pecuniam debitam solvere non potuit[54]). Deinde aliquod per tempus Dusseldorpii moratus exeunte Majo domum revertit[55]). Postremus Gerhardus Oldenburgiae equis relictis clam Colonia discessit[56]).

Imperatore Colonia nondum profecto milites advenerunt urbis Argentorati, C equites et V^{C} pedites, duce Philippo a Muelheim. Qui jussi ab imperatore Suntinam urbem occupare, cum ejus conditionem situmque explorassent, non fecerunt, sed moris esse inde a temporibus majorum, ut apud vexillum imperiale manerent. Atque imperator ille quidem cum milites de hac re cum consulibus Argentoratensium expostulasset, simile responsum accepit neque factum esse videtur, ut Argentoratenses a vexillo imperiali removerentur[57]). Qui militari disciplina prorsus fere caruisse videntur; cum enim Coloniae morarentur discordiam certamenque cum urbibus Suevicis provocarunt, sed nocte dirempti sunt, nonnullis caesis, deinde quum imperator exiisset, pugnam inierunt cum illis, qui sub episcopo Monasteriensi erant, qua adversarios LX interfecerunt et processum triduo impediverunt[58]). Deinde quum militibus a civitatibus missis prae nimio numero proprium vexillum ab imperatore daretur, iterum Argentoratenses exstiterunt, qui ipsis

---

52) Cfr. enumerationem principum Coloniae praesentium apud Mone Quellensammlungen I, p. 278. Cfr. etiam Chmel I, 1. p. 433, acta contra Juliacenses.

53) Pecuniam non accepit, cfr. Dettmar II, 368. „Suss behelden de van hamborch ere gelt.

54) XII. Julii secretarius regis imperatorem rogavit, ut cauponem eas reddere cogeret. Chmel l. c. I, 3, p. 558.

55) Petersen Holsteinische Chronik ed. Chr, F. Kruse. Altona 1828. II, 90.

56) Dettmar II, 363.

57) Obrecht de vexillo imperiali p. 38 sqq. Koenigshoven p. 1109,

58) Strobel Gesch. des Elsass, III, 337.

prae omnibus id debere dicerent. Placuit autem, ut plures urbes vicissim id gestarent et post alteras discordias, quae urbs prima id gestaret, ordo sex urbium sic constitutus est, ut primum Argentoratum, deinde Colonia, Augusta Vindelicorum, Francofortum, Norimberga, Ulma vexillum acciperet. Hic summus civitatibus honor fuit ac marchio Albertus, quum Philippo a Muehlheim vexillum traderet, id nunquam civitatibus evenisse dixit[59]).

Priusquam vero Coloniam reliquerunt, medio mense Aprili Alexander episcopus Forliviensis advenit, quem legatum papa miserat, ut pacem inter partes belligerantes componeret. Itaque bello cum ipso duce nondum incepto jam de pace cogitatum est; nam I. Maji legatus ad Carolum se contulit[59a]), VI. Caesar cum exercitu movit et tota fere hebdomade usus est, donec Suntinae castra poni potuerunt[60]). Hic copiae duas hebdomadas haeserunt. Exierant Colonia fere viginti millia[61]), quibus in itinere accesserunt Sangallenses, Schaffhusienses, Henricus Hassicus, marchio Badensis junior, episcopus Monasteriensis cum exercitu paulo minore, quam quem imperator secum habuit, extracto ex episcopatibus Bremensi et Monasteriensi, deinde ex tota Westphalia, quibuscum milites ex civitatibus Germaniae septentrionalis omnes se conjunxerant. Quorum omnium numerum ii qui minorem afferunt sexdecim fuisse milium narrant[62]). Atque belli cupidine maxime flagrarunt contra Carolum, quem ipsorum libertati infestissimum scirent, sperantes fore, ut prorsus ipsi voluntas in rebus Germaniae se immiscendi adimeretur[63]). Simul civitates illae pes-

---

59) Obrecht et Koenigshoven. Refert Philippus marchionem id dixisse „mit grossen gescheidten wortten.“

59a) Comines ed. Lenglet II, p. 116.

60) Chron. Colon., ex quo Bircken ut videtur. VI.—VIII. imperator in Möhlheim, VIII,—IX. in Vulen up dem Sande inter Niel et Wertheim, X. Suntinae fuit.

61) Sic marchio Albertus ipse X. Maji ad Guilielmum ducem Saxoniae scripsit. Ex arch. Wimar. („darunter IV^{M} wolgerüster pferde, wartet noch auf X^{M}, ob sie aber kommen, wissen wir nicht.“)

62) Chron. Colon. Schaten annales Paderbornenses II, 728. Eundem numerum praebet Renneri Chronicon Bremense (manuscriptum ex sequenti saeculo) p. 823. Ex arch. Bremensi.

63) Cfr. Schaten, qui litteras Coloniensium, Tremoniensium et „nostratium“ commemorat p. 724. Lindenbrog Scriptores rerum septentrionalium p. 258, cum de pace

sime audientes apud imperatorem se pro patria liberanda stare docuerunt[64]).

Ceterum qui fuerit omnium copiarum tum numerus accurate statui non potest, utpote quem certum eorum, qui coram viderunt, nemo retulerit. Etiam singulis diebus singuli advenerunt atque totus exercitus spatium tam latum obtinuit, ut omnium numerus nulli fere constaret. Tamen haud multum a veritate aberrare videamur L^M militum fuisse dicentes[65]). Principum vero adfuerunt praeter Moguntinum Coloniae aegrotantem archiepiscopus Trevirensis, episcopi Eichstadiensis, Monasteriensis, deinde Augustinensis, Spirensis, Wormatiensis, Argentoratensis, Mediomatricensis, Basileensis, Magdeburgensis episcopi adfuisse narrantur, saecularium principum Albertus marchio, Albertus dux Saxoniae, comites Wuertembergenses, marchio Badensis junior, Henricus Hassiae landgravius, comes Nassoviensis, denique comitum ex imperio admodum magna copia. Civitatum pleraeque advenerunt, septuaginta circiter a variis scriptoribus enumerantur. Quarum in militibus vigor totius exercitus positus fuit, quum recens advenissent, principum copiis belli diuturnitate jam fatigatis. Sic imperatoris exercitus certo major fuisse videtur, quam qui Carolo duci fuit[66]). Ludovicus autem rex in Flandriam agmine infesto se irrupisse nuntians mox copiarum VI^M se missurum promiserat, quos subsidiariorum X^M secuturi essent[67]). Summum vero imperium Alberto marchioni delatum est[68]), imperii vexillum pro principibus

acta loquitur: „Unusquisque autem jussu imperatoris ad propria remeavit, sed cum fmaerore, quia Carolum deglutivissent, si permissi fuissent."

64) Dettmar II, 367.

65) „Credo Germanorum esse numerum XL aut L^M militum, equitum habent ad XVI^M, peditum et collectitiae turbae satis." Sic VII. Junii episcopus Caputaquensis ad Jacobum Cardinalem Papiensem scripsit, in castris Burgundicis. Raynald.

Bircken l. c. p. 817. cum iis, qui exercitum secuti sunt, LXXX^M hominum fuisse putat. Schilling l. c. p. 161 numerat LXXV^M.

66) Qui adfuerunt singuli enumerantur apud Martini minoritae continuationem Suevicam posteriorem ed. Staelin. Wuertemb. Jahrbb. 1852. p. 165—166. Mone Quellensammlungen etc. I, 278. et I, 518—519. Unrest Chronicon Austriacum in Hahnii Monum. I, 596. sqq.

67) Müller p. 700.

68) Hoc non prius esse factum puto, quam hoc tempore, quum Colonia exirent. Antea nunquam in litteris id dicitur. Ac tum etiam marchio per imperatorem in rebus gerendis impeditus est.

dux Saxoniae[69]), suum ipsarum urbes gestarunt. De jure autem vexilli sancti Georgii gestandi lis illa inter Sueviae et Franconiae equites antiqua, etsi imperatoris auctoritas deerat, hoc tempore ita est composita, ut Suevis et Francis vexillum vicissim gestandum traderetur, utque signifero Suevo Francorum auxilia adessent[70]). Deinde episcopus Monasteriensis singulare accepit vexillum pro Germania septentrionali[71]). Atque totus exercitus in quatuor partes divisus erat sub ducibus Henrico Monasteriensi, Henrico Hassico, archiepiscopo Trevirensi et Alberto Saxone[72]).

In medio agminis currus vehebantur, quorum in latere pedites ingrediebantur, ac primi quidem arcuballistarii, deinde qui sclopetis utebantur, porro lancigeri et quibus arma generis satis varii erant. Extremum agmen equites circumdabant. Hoc ordine ingredientes tandem die Maji XXIII. tam prope ducem accesserunt, ut sola Arpa interflueret[73]). Sane exercitus fuit magnus, fortis bellique studiosus, cui quamvis perfecta disciplina desideraretur, nequaquam tamen ducis copiae timendae erant, quippe ex diversis nationibus compositae, quarum concordia haud magna tum fuit. Sed paullo antea pugna exorta erat inter Anglicos et Italicos, quae, cum ceteri Italicis se conjungerent, magnum attulisset periculum, nisi dux stricto gladio in catervam insiliens eos separasset[74]). Ceterum magna pars militum longitudine obsidionis et inopia tam pecuniae quam victuum satis dissoluta erat. Patuit enim IX. Aprilis, cum dux Lombardos ab obsessis fugatos severa oratione vituperaret, illos jam per septem menses stipendia non accepisse; comes enim ille de Campobasso pecunias ipse retinuerat[75]). Qui tum Mechliniae moratus est, aegrotantem se simulans, quia jam

---

69) Müller, p. 708.

70) Müller. p. 711.

71) Cfr. Münsterische Geschichtsquellen 1, 189 et I, 242. Schaten Annal. Paderborn. II, 726.

72) Bircken p. 815.

73) Sic Albertus dux apud Müller p. 707.

74) „Mais le duc de Bourgongne chevaleureusement l'espée au poing se mist entre d'eux et appaisa le combat, qui estoit bien dangereux. Olivier de la Marche l. c. liv. II. chap. III. p. 295.

75) Molinet l. c. p. 101—108.

inde ab initio Januarii duci iratus est, qui annis ineuntibus praefectos permutare solitus, de comitis quoque militibus Italicis hoc more disposuisset[76]). Pars vero altera in oppida vicosque circumjacentes distributa, quum uno loco non amplius omnes possent contineri, tanta aeris alieni multitudine incolis obstricta fuit, ut dux eos ad aciem instruendam in castra convenire jussos magnis pecuniis solvere deberet[77]). Neque putamus militum animos hac obsidione diuturna et ingloriosa elatos fuisse; jam plus X^M frustra ceciderant. Nec parvi momenti fuit, quod ipse dux superbiam et ferociam non monstravit, qua prius insignis fuerat. Qui quum Germanorum exercitum appropinquantem videret, centuriones et tribunos multis blanditiis acceptos oratione suavi ac demissa usus acclamavit, in eorum animo spem suam esse collocatam; pro viribus quisque ad pugnandum se pararet[78]). Quam orationem effecisse, ut illi lacrimarent Molinet auctor est. Itaque quum vitae periculum adire se paratos dixissent, statim dux Germanos aggressus est, (XXIII. Maji) qui in eo erant, ut castra ponerent. E quibus ille quidem episcopus Monasteriensis cum aliquot cohortibus contra hostes processit, deinde quum propter militum nimiam dimicandi cupiditatem dux Albertus cum Trevirensi archiepiscopo de acie instruenda deliberaret, quum jam in eo esset, ut magnum proelium iniretur, Albertus marchio copias ex castris exire vetuit. Itaque cum Germanorum damno utrimque discessum est[79]). Neque enim jam in certamine, sed in iis, quae legatus apostolicus agebat, spes belli fuit. Itaque haec fuit omnium proeliorum, quae orta sunt, sors ac natura, semper Germanici milites retrahebantur, ne in pugnam ruerent. Qua re Burgundionum animus mox altius iterum elatus est[80]); Carolus quum imperatori voluntatem pugnandi non

---

76) Molinet I, 107. „qui lors soi disant estre aggresé de maladie se tenoit a Malines chaulte et moiste.

77) Molinet I, 118—119.

78) ibidem p. 129: „et en doux lengage hnmble et amiable leur dit ainsi" etc. Tamen oratio fortis est principis, qui post tantos labores exercitui Germanorum cedere summum habet dedecus.

79) Sic dux Albertus ipse narrat litteris de XXVII. Maji, ex arch, Wimar. Cfr. Müller 707. Wierstraat v. 2705—2714.

80) Molinet I, 133.

esse intellexisset, mox in priorem superbiam iterum se convertit, penes ipsum fore sperans, quibus conditionibus bellum finiretur. Quod clarissime patuit, postquam legatus die Maji XXVIII.[81]) inter utramque partem indutias composuit, primas in tres modo dies, deinde diutius prorogatas.

Sed id certe his indutiis evenit, ut urbs obsessa ex summa miseria liberaretur, quum jam in eo esset, ut Carolo se dederet. Namque ne unam quidem hebdomadem obsidionem amplius sustinere potuit inopia et telorum et victuum. Cum igitur legatus ad portam superiorem cum Hermanno landgravio praesentibus et imperatoris et ducis consiliariis collocutus esset de conditionibus urbis liberandae conventum est. Deinde urbs aperta et libero commercio tradita est. V. autem Junii admonente landgravio consules jusjurandum praestiterunt urbem usque ad controversiam penitus dijudicatam auctoritati imperatoris ac papae traditam fore[82]).

Intra tempus harum indutiarum tam celeriter conciliatarum legatus apostolicus summam operam dedit, ut firmam pacem componeret. De cujus conditione gravissima postquam dux cum imperatore consensit, placuit de ceteris postea deliberari. Sed difficillimum fuit utramque partem ad abeundum commovere. Propositum est, ut imperator altero die post Caroli discessum totum exercitum Coloniam duceret et ibi demum copias dimitteret. Quod Carolo maxime displicuit, quum testimonium cladis Burgundicae ei videbatur. Itaque multa tergiversatus est[83]). Diem ex die compositionem retractavit „conditiones male interpretans, diffidentiam provocans." Ac tam multa eum verba suspiciosa in medium protulisse Albertus dux Saxoniae Guilielmo avunculo scripsit, ut omnes per dies pax dubia spe esset, neque quisquam de rerum conditione certum quicquam sciret. Nam XIII. Junii spatium minimum juxta Arpam abiit usque ad vicum Grimlichhausen, ita ut

---

81) Wierstraat v. 2715. Litterae Coloniensium ad Bernenses apud Schilling p. 158. sq. Bircken nominat diem XXV, sed falso; nam in litteris, quas Albertus dux XXVI. et marchio XXVII. scripsit (ex arch. Wimar), nihil de indutiis dictum est.

82) Haec omnia apud Wierstraat. Cfr. Molinet, 134.

83) Molinet I, 136. Cfr. litteras domini de la Roche ad ducissam Burgundiae apud Gachard Collection etc. I, 247.

exercitui Germanico propior tum existeret quam antea[84]). De qua re quum consiliarii imperatoris gravati essent, se abiisse respondit, seque sperare imperatorem ipsum nunc castra moturum esse. Ipse aeque ac scriptores rerum Burgundicarum imperatorem arguerunt, quod ei vera paciscendi et abeundi voluntas non fuisset. Hac rerum conditione, praesertim cum omnia tam arcane tractarentur, ut praeter Albertum marchionem et ducem Saxoniae nemo in secretas pacis conditiones introspiceret — ea militum opinio —, mox militum animi accensi et irati sunt. Nihil in toto bello dignum Germanico nomine actum esse disserebant, posse Burgundionem, si imperatori liberet, vinci delerique. Denique igitur rixae inter utrumque exercitum exortae sunt. Cum vero Coloniensium decem milites a Burgundionibus interfecti essent, ira eorum, qui timerent, ne pecunias paene incredibiles incassum consumpsissent, eo erupit, ut undecim naves Burgundicas, quas munimentis („artillerie") repletas Carolus Rheno secundo domum misit vi ablatas Coloniam abducerent[85]). Quas quum reddere constanter abnuerent, dux summa ira et conviciis in Germanos invectus, juravit se nisi navibus redditis non discessurum[86]); militum vero animi, praesertim qui cum episcopo Monasteriensi advenerant, eo ferocius et impetuosius exarserunt. Qui paucis diebus post, XVI. Junii, arma conferendi cupidine accensi per ludibrium Burgundiones ad pugnam provocarunt, quum vigilias telis turbare coepissent. Mox pugna atroci exorta, quum duo vel tria millia Germanorum exiissent, Carolus optimam partem equitum eos adôriri jussit. Qui adversus marchionis jussum e castris egressi fractis indutiis, quum marchio clausis castris ceteros prohiberet, quominus iis ad auxilium venirent, mox utrimque interclusi aut caesi aut in aquam depulsi ex majore parte mortem obierunt. Ac summam se victoriam repor-

---

84) Albertus dux: „villeicht ein armbrost schoscz vom lager herwarts gegen vns. Ex arch. Wimar.

85) Chron. Colon. Molinet 1, p. 136.

86) Dux Carolus in litteris de XX. Junii apud Gachard documents inédits etc. I. 243. Cfr. quae eadem die Albertus dux de eo scripsit, de „die tuckisch auszlegung der artickel, die miszglauben erzeugt." ... „der herczog dewtet die artickel nach seinem gefallen." Ex arch. Wimar.

tasse, Germanorum perfidiam se punivisse hostes gloriati sunt[87]). Episcopus autem Monasteriensis furore inflammatus apud imperatorem multa in marchionem invectus sed honorificis verbis sopitus est[88]). Nam imperator verens, ne tota pactio frangeretur, etsi damno virtutis et dedecori nominis Germanici, indutias severe servavit. Itaque quum legatus statim in castra Burgundica se contulisset, ut pacem melius servatum iri diceret mortuosque repeteret sepeliendos — id quod Burgundionum superbiam amplius auxit —[89]) multa cum Coloniensibus acta sunt, ut naves redderent. Nec prius illi ad id commoti sunt, quam imperator proscriptionem et legatus excommunicationem minarentur. Tum demum placitum est, ut naves per legatum Neomagium ad ducem remitterentur[90]). Sic omnia composita erant, statuto, ut dux quarto die abiret, sed pacis verae faciendae fiducia non magna. XX. enim Junii Albertus: „Num, inquit, pacis conditiones serventur, futura docebunt. Rex enim Franciae, quod certum accepimus, magnum agmen mittit, qui tertio vel quarto die aderit[91]).“ Tamen die XXVI. dux, sequenti imperator copias abduxit[92]).

Ducem XV^M hominum hac obsidione, quae undecim menses duraverat, Germanici scriptores[93]), IV^M optimorum militum Cominaeus perdidisse narrant, copiae vero ceterae fatigatae et extenuatae tam mala conditione utebantur, ut contra Franciam eos ducere non auderet[94]). Manebant igitur circa Namurcum, donec

---

87) Cfr. duas epistolas apud Gachard l. c. p. 243—248. — Initium pugnae etiam Schaten l. c. p. 726 eodem modo narrat, quo Burgundiones.

88) Schaten l. c.

89) Gachard l. c. „Depuis icelle escarmuche, lesdits Allemans se sont doulcement accordez au partement et à la maniere de marchier, chascun contre son pays.

90) Cfr. litteras Alberti ducis de XX. et XXI. Junii.

91) ibidem. Ex arch. Wimor.

92) Wierstraat. Chronique ancienne apud Comines ed. Lenglet II. p. 216. De ultimis belli diebus a scriptoribus varia narrata sunt, quorum multa falsa. Molineti caput XIX. confusum est. Pugna quam ortam esse XXVI. Junii narrat, capite XXII., XVI. Junii pugnata est. Wierstraat de pluribus proeliis narrat, quae dubito num vera sint. Qui pugnam XV. diei Junii in XXIII. ponit. cfr. v. 2899. Contracta ex variis scriptoribus multa inveniuntur apud Meyer et Schaten.

93) Chron. Colon. ac posteri fere omnes. Molinet nihil affert.

94) Comines liv. IV. chap. V.

postea in Lotharingiam irruperunt. Honorem ille quidem obtinuit neque parvum, toti exercitui Germaniae se restitisse ac fere feliciter[95]). Quantus vero eorum numerus sit, qui in exercitu Germanico ceciderint, nullum exstat testimonium nec computatio fieri potest. Novesii autem VII^{C} et L fere homines perierunt; LVI impetibus Caroli fortiter restiterunt[96]).

Sed quomodo paullatim res ita evenerint, ad quem finem studiorum et Caroli et imperatoris, restat, ut accuratius quaeramus.

Quae usque ad mensem Aprilem acta fuerint, de his jam prius dissertum, quibus patere intelligimus neque Christiani interventionem neque quod Carolus temptavit, ut cum electoribus praetermisso imperatore ejusque damno ipse res componeret, bene successisse. Deinde imperator Coloniam profectus ex imperio quam maximas potuit copias paulatim collegerat. Ubi repudiatis, quae a ducibus et Juliacensi et Clivensi oblata erant, ut paci componendae se interponerent, ipsos principes hortatus est, ut quae deberent imperio officia, memores essent. Scimus etiam cum Ludovico id actum fuisse, ut non solum ducem Novesio propellerent, sed omnino viribus unitis contra hostes et domesticos et externos progrederentur. Res igitur ineunte Aprili ita se habuerunt, ut Alberti marchionis dicto uti si licet, sine armorum concursu componi non posse viderentur.[97]). Hactenus quoque litterae marchionis et ducis Saxoniae satis sufficiunt, quarum ex frequentia marchionem imperatoris animum usque ad id tempus rexisse seque ad pugnam conserendam praeparasse intelligimus. Certe marchio se id facere credidit.

Tamen cogitandem est eo tempore copias imperatoris nondum satis magnas fuisse, ut ducem posset aggredi. Nam e Germania

---

95) Comines IV, 2, s'excusoit envers les Anglois sur son honneur, qui seroit foulé s'il se levoit.

96) Wierstraat.

97) V. Aprilis, marchio ad Guilelmum Saxoniae. „Wissen wir zu diser zeit wenig zu schreiben, dieweil wir vns der hulffe aus dem reyche vnd anderswo wartende, vnd die iczt ym zu zihen sein soll, versehen, lassen wir die dinge am thunlichst varen, aber als vns die hendel noch ansehen, bedunckt vns sie mogen ane veltstreit nicht wol beygelegt werden." Ex arch. Wimar.

septentrionali nondum ullae aderant, cum conjurationibus Germaniae superioris tum actum est, ut venirent. Opus esse videbatur, ut supplementa exspectarentur, priusquam arma Carolo conferrentur. Atque imperator tanta potentia usus est, ut summa consilia caperet. Nam praeter ea, quae aperte cum Ludovico rege pactus est, secretius id quoque egit, ut cum eodem rege concilium generale convocaret, quo Sixto papa, quod simoniace electus esset, deposito ecclesiam et in imperio et in Francia episcoporum commodis constituere voluerunt. Hoc concilio etiam fore sperabant, ut audacia Caroli coerceretur,[98]) Quin etiam imperator cum rege communicavit, jam principum nonnullos consilio assensos esse, simul eum invitans, ut et ipse concilio celebrando operam daret. Id quidem utrum verum fuerit an fictum per imperatorem nescimus, certe hac in re marchionis consilio usus fuisse non videtur, neque ducis Saxoniae. Fortasse auxilio principum ecclesiasticorum confisus est. Suasit autem regi, ut omnia in secreto retineret. Quod consilium cum Hungariae regi per nuntium proditum esset, se ipsum quoque periclitari is intellexit, quia novum papam cum imperatore contra ipsum se conjuncturum esse praevidit. Matthias autem illo tempore cum Ferdinando rege Neapolitano et Carolo Burgundico consensit. Quorum utrumque litteris hortatus est, ut Sixtum papam commoverent, ut praeverso illo ipse papa concilium in talem locum convocaret, ubi sociorum studiis omnia regerentur. Praeterea autem rex Hungariae suasit, ut Carolus Ferdinandi filio Mariam filiam in matrimonium daret; qui ipse tum Ferdinandi filiam duxit. Deinde in Austriam promisit se irrupturum esse. Ac revera anni 1475. verno tempore princeps Neapolitanus Alpibus superatis in Burgundiam superiorem venit,[99]) dum in castris

---

[98]) De sequentibus confer: Extracta ex scriptis repertis apud nuncium ex Hungaria, ex arch. Dresdensi.

„Item quoddam transsumptum cujusdam litterae, in quo Imperator intimat, cum ipse et rex (Franciae) ad utilitatem christianitatis celebrare velint concilium et propriis personis interesse et dare ordinem statui ecclesiae et pontificatui, quem tenet Sixtus, qui non canonice sit electus, sed per cardinales symoniace factus sit, et esset restringendum illam audaciam et stultitiam ducis Burgundie, qui maliciosissime pacem Francie et Alemannie perturbat.“

[99]) Guichenon histoire de Savoye II. p. 141.

Caroli episcopus Caputaquensis orator Neapolitanus una cum Mediolanensi et Hungarico diligenti commercio utuntur.[100]) Tum vero medio mense Aprili Alexander episcopus Forliviensis, quem legatum apostolicum papa miserat, Coloniam venit.[1]) Qui statim inter partes belligerantes pacem ut componeret, summa ope nisus est; papa enim rem nequaquam concilio committere voluit. Reperitne is secretum pacis faciendae, quod Christiano non successerat? Sane conditio Caroli periculosa fuit. Legatus autem minime hac in re consiliis et auxilio principum Germanicorum usus est, sed verisimiliter jam tum cum iis egit, qui postea pacem composuerunt, cum Dr. Heselero et Hugone de Montfort, a parte Burgundica cum episcopo Caputaquensi, oratore regis Neapolitani. Etiam marchionem de Röteln reperimus,[2]) qui jam ante conventum Trevirensem consiliorum Burgundico-Austriacorum conscius fuerat. Usque vero ad finem Aprilis legatus in Germanorum castris versatus I. Maji die a Carolo exceptus est.[3]) Ac primo quidem non multam profecit, nam marchio X. Maji satis contemptim de ejus opera loquitur.[4]) Tamen per eum sine dubio id effectum est, ut exercitus tam mira lentitudine progrederetur, quamvis satis multi milites convenissent. Ac statim post primum concursum indutiae factae sunt. Quae deinde inter utramque partem acta essent, neque tunc neque nostris temporibus innotuere. Nam quae conditiones in vulgus emanarunt, nihil nisi id habuerunt, ut exercitum dux Novesio abduceret, nihil contra Coloniam moliretur, totique inter epiocopum et capitulum controversiae se interponere desisteret. Quibus acceptis dux simul legato et oratoribus imperatoris (qui non nominati sunt) promisit se nunquam bellum imperio illaturum esse, cum imperatore electoribus principibus pacem se servaturum neque Hungariae regi neque comiti Palatino auxilia missurum, immo imperio quantum posset armis contra quoscunque adfuturum, se principem vasallum obsequentem et electorum imperii sacri

100) Comines ed. Lenglet II, p. 216.

1) Non prius memoratur, quam in litteris ex posteriore parte mensis Aprilis, quamquam Raynaldus, annal. eccles. X, p. 559 eum jam XII. Februarii a papa deputatum esse refert.

2) Bircken p. 820.

3) Comines ed. Lenglet II, 216. 4) Müller, p. 700.

fratrem fidelem praestiturum. Ipsi Hermanno Hassico se subventurum esse contra alios promisit, sed in rebus Francicis ad nihil se obligavit. Jam imperator non poposcit, sed dux proposuit[5]). Helvetios autem, quamvis ut membrum imperii pacis illius ipsi participes essent, quum antea expresse constitutum esset, ut nihil infesti dux in eos gereret, tunc quidem duci proditos esse aeque ac Renatum ducem jam manifestum est. Scilicet gratiam tulerunt, quod bellum contra Burgundiam quasi ipsorum proprium habuere.

Acceptis denique quae dux proposuerat, Albertus dux et marchio coram oratoribus Burgundicis fore polliciti sunt, ut imperator nunquam ducem in terras haereditarias sequeretur. Quas conditiones tum propositas, tum ab imperatore acceptas esse, — hoc ipso tempore, quo imperii exercitus in promptu erat, qualis inde a bellis Hussiticis nunquam exstiterat, quo Helvetii victores Burgundiam in superiorem progressi sunt ducemque ab Italia interclюserunt, quo Ludovicus rex in Picardiam irrupit, quo denique Caroli exercitus labefactus ejusque populi seditiosi et perturbati sunt — haec aperte demonstrant, consilia jam omnino aliter couverti coepta esse. Quae ut fierent, nihil aliud efficere potuit, quam quod iterum spes aderat fore, ut Carolus Mariam filiam Maximiliano daret. Hoc enim pretio imperator omnes deserere paratus erat. Posterioris enim aevi scriptores rerum Austriacarum Maximilianum ipsum dixisse narrant, inter secretas pacis conditiones eam quoque fuisse, ut Mariam in matrimonium acciperet[6]).

Quod ad consilium quomodo imperii principes, in primis marchio et dux Saxoniae se habuerint, statui nequit, tamen eos parum contentos fuisse ex eorum epistolis sentiri potest. Certe conditionibus publice paciscendis aderant, sed quia summi principes et belli duces fuerunt, non ad commune cum imperatore agendum. Probari non potest eos conditionis secretae conscios etsi suspicatos fuisse. Albertus vero Saxo usque ad ultimum temporis momentum pugnatum iri speravit. Certe eo quod indutias tam severe tenuit,

---

[5]) Excerpt aus den Copyen, so yn der Taydigung mit Herczog Carln von Burgund vor Newss furgeschlagen worden sind, bis es zur richtigung komen. Ex arch. Bambg.

[6]) Gerardus Roo historia Austriaca p. 283. Bircken idem nescio an ex Gerardo narrat, p. 820.

marchio omnem militum invidiam odiumque in se convertit, deinde cum duce Alberto paucis ante discessum diebus, quum Carolum ducem salvere juberet in castris Burgundicis, magnis cum honoribus ibi exceptus suspicionem praebuit[7]). Hoc minime mirandum est. Plura nescimus, tradiderunt autem posteri imperatorem ipse clam cum duce convenisse[8]). Hoc colloquio et opera legati res ad compositionem venisse putaverim[9]). Ac quum tandem dux in ipsius terras rediisset, imperator per tres menses continuas in regionibus Rhenanis versatus est, non ut controversiam illam, quae belli causa praelata fuerat, omnem componeret, non ut principes non obsequentes, ut ducem Clivensem in jus vocaret, sed ut cum Burgundione ageret.

Quae quum ita essent, pax in odium offensionemque omnium incurrit, ac tam mira plerisque tanta rerum mutatio visa est, ut eam nisi fraude et proditione factam esse credere non possent. Ac primo quidem prudentibus verbis usi sunt. Sic Colonienses Bernensibus statim litteras mittentes omnes scripserunt hujus pacis poenituisse, quia bellum aut aliae inimicitiae non prohibitae sed apertae ut antea essent: quibus rebus ut imperator meliorem finem daret, facile fieri potuisse, qui viribus admodum magnis adfuisset[10]). Mox vero, exercitu Coloniae dimisso, postquam marchio et dux Albertus abierunt, quum imperator solus in his regionibus versaretur, apertius de proditione, de principum corruptione dictibabant; esse Saxonem et Brandenburgicum Caroli largitionibus commotos, ut imperatorem invitum ad pacem faciendam cogerent. Atque praesertim Colonienses eorumque praefectus Guilielmus de Arburg talia cum dixissent, per homines divulgata tandem ad aures Alberti ducis pervenerunt. Verum quum ille Colonienses et Guiliel-

---

7) Comines ed. Lenglet II, 216.

8) In litteris praesentium et in iis libris, qui ab aequalibus scripti sunt, de hoc colloquio nihil invenitur, neque apud Bircken. Cfr. tamen Gerardum Roo, l. c. p. 309 et posteriores fere omnes. Fortasse Roo eum nuntium ex eodem fonte hausit, quo secretam nuptiarum conditionem.

9) Carolus dux VI. novembris anno 1476. ad imperatorem scripsit: „Ego jam omnia pariter compleui, litteras dedi ipsi domino prothonotario vestrae majestatis (Dr. Heseler), prout ad faciendam in cedula domini legati episcopi Forliuiensis me obligavi. Cfr. Chmel l. c. I, 1. p. 186. Hanc obligationem ante Novesium factum esse non est, cur negemus.

10) Schilling l. c. p. 158—161.

mum de Arburg hujus facti rationem poposcisset, tergiversantes omnia negarunt. Arburg enim ille XVI. octobris nunquam se dixisse Alberto duci scripsit, quae ipsius honori nocerent; immo si sciret, qui talia de ipso calumniatus esset, se semper paratum esse, ut ipse verborum suorum rationem haberet et ut ducem contra omnes defenderet, per quos ejusmodi calumniae vulgatae essent. Ac similia fere Colonienses responderunt dicentes se nunquam aut in senatu aut extra senatum tam graves de ipso vel de marchione dubitationes agitasse neque quidquam de his criminationibus audivisse. Ceterum per Hassiam quoque isti principes tanti flagitii videntur accusati esse, qua ex terra per comitem de Honstein Albertus dux certior factus est. Itaque dux etiam Henricum landgravium verborum rationem poposcit, sed verisimilites eandem responsionem accepit, quamquam nulla exstat [11]. Sed rumores quum semel exorti essent, reprimi facile non potuerunt. Ceterum quis scit, an imperator ipse talia indirecte excitaverit [12], ut invidiam hujus pacis a se in alios converteret, in eum praecipue, cujus auctoritatem et consilia proximo sequenti tempore prorsus respuit!

Itaque quum hujus belli historia in chronicis perscribi coepta esset, vivis plerumque illis, qui interfuerunt, principes, praesertim marchio, apertae proditionis arguti sunt. Sic Chronicon Coloniense, exeunte illo saeculo scriptum, secrete rem compositam esse tradidit, ita ut de pacis conditionibus paucissimi certiores fierent. Fuisse autem rumorem, nisi ducis Caroli leones tantam effecissent stragem imperii, illum prorsus exstinctum futurum fuisse, quum imperator rei publicae multum curiosus per principes prohibitus esset, qui sequi noluissent. Ac marchio imprimis eo suspicionem praebuit, quod ex imperii exercitu jam prope urbem Tuitium profectus magno cum silentio in patriam rediit [13]; tamen si animo no-

11) Cf. litteras ex arch. Weimar. Haec controversia duravit usque in hiemem.

12) Hic Droysenii suspicionem sequor. Preussische Politik II, 433.

13) Chron. Colon. „der Marckgreue van Brandenborch zoich stillichen tzo Duytsche over Rijn vnnn macht sich heym, eer yemants wuyste. Unn die heren van Collen tzoigen ym nae over Rijn vnn schenckden eme cleynoit vnn anders mere; as vill meynten, so was dat geschenck besser, dat eme der hertzoch van Burgondien geschenckt hadde vur Nuyss.“

biscum reputarimus, quem totum per bellum se gesserit, quomodo omnia postremo per legatum acta sint, criminationes illas fide satis parva dignas censebimus. Cui commodo ille imperatorem prodere potuit? Soli pecuniae? Nonne pax Austriae amicitiam cum Burgundia et summas spes attulit? Sed res utut est, Lubecae[14]), Argentorati[15]), Bernae omnibusque locis ubi hac pace periculum non remotum esse intellexerunt, viros omnes accusarunt proditionis, quorum consiliis et auctoritate actum esse putabant. Hi igitur imperatorem, hi marchionem, hi legatum proditorem appellarunt, omnes pecunias accepisse dixerunt. Id certe verum est, salutem rei publicae privatis commodis proditam esse eo tempore, quo hostis summis erat in angustiis.

Sed multo etiam magis rerum conditio mutata est, quam illis locis putabatur. Nam imperator directa via in adversariorum castra transgressus est. Dum enim in regione Rhenana versatur, Insulis cardinalis legatus et imperatoris oratores cum consiliariis Burgundicis egerunt. Aderant et ipsi Palatini comitis oratores, quibus nihil magis res mutatas esse manifestum est. Ac XXXI. die Julii[16]) legatus coram duce verba fecit de diuturna amicitia inter imperatorem et ducem Philippum atque uti prius principes ad Philippi auxilium invitati essent, sic nunc quoque imperatorem duci permittere auxilium contra Franciae regem. Ipsum imperatorem cum omnibus imperii principibus velle ad auxilium venire, si rex Franciae Carolum adoriendo principem imperii imperiumque violaret. Palatini autem oratores comitatem paratissimum esse nunciarunt, ut voluntati imperatoris obsequeretur. Jam videbantur omnia per imperatorem et ducem communiter rectum iri[17]). Hoc sensu usque in mensem novembrem agi pergebatur, tum tandem pax facta est.

Dr. Georgius Heseler pro imperatore, episcopus Caputaquensis

---

14) Dettmar Lubecensis II, p. 368.

15) Similia, praesertim omnes Caroli pecuniis corruptos esse, Argentorati vulgabantur. Cfr. Mone Quellensammlungen I, p. 266.

16) Ex archivo Dresdensi.

17) Cfr. litteras Nicolai comitis de Hohenzollern ad marchionem, de XV. Augusti, apud Minutoli Kurfürst Friedrich I. Anhang p. 20.

pro duce Carolo, cardinalis episcopus Forliviensis pro papa in castris Burgundicis ante Nanceium de his conditionibus convenerunt: I., ut alter alterius terras in protectionem suam susciperet; II., dux illius se hostem futurum esse promisit, qui imperatorem imperiumve aggrederetur; imperator „pro se" idem duci auxilium pollicitus est. III., placuit, ne discordiis inter subditos utriusque exortis pax et confoederatio fracta judicaretur. IV., liberum commercium utriusque vasallis omnibus permissum est. V., pax confirmabitur usque ad finem decembris et VI., publice pronunciabitur usque ad festum Epiphaniae. VII., ut uterque oratores mitteret ad papam illius benedictionem petiturus, VIII., ne alter a papa dispensationem peteret vel oblatam acciperet. IX., ultima denique conditio ea posita est, ut principum imperii unusquisque in pacem comprehensus censeretur, nisi qui se comprehendi nolle infra quatuor menses duci Carolo declaravisset. Igitur post quatuor menses imperium hac pace obligari potuit, ut Carolum contra Franciam, contra alios quoscunque hostes — cur non contra Helvetios? — adjuvaret. Praeter has vero conditiones publicas secretae exstant; prima, ut nec ducis conjunctio cum rege Matthia nec imperatoris cum regibus Bohemiae et Poloniae paci noceat; deinde imperator pollicitus est intra sex menses se de possessione Ferrettae dijudicaturum et rem ad Caroli satisfactionem compositurum esse. Quod si ipsi non contigisset, utrisque et Carolo et adversariis qua componendi via uti vellent liciturum esse[18]).

XVII. novembris haec documenta signata ac XXXI. demum die Januarii sequentis anni a Carolo confirmata sunt[19]).

Hac pace studia Caroli minime exercita esse non est qui neget. Eodem enim tempore omnes principes in pace comprehensos esse dictum est, quo Carolus Renatum Lotharingiae ducem terra hereditaria privavit, quo jam contra Helvetios ingens bellum paravit.

Nec meum est, ut omnes res, quae nunc susceptae sunt enarrem, quamvis ad conditionem rerum plane mutatam demonstrandam

---

18) Chmel Mon. Habsb. I, 1. p. 125—130. Translatio Francogallica apud Comines ed. Lenglet, III, p. 446 non omnia habet. Excerpta praebet Raynaldus.

19) Chmel Mon. Habsb. I, 1. p. 133.

necessarium sit; sufficiat hoc loco, ut nuptias Mariae cum Maximiliano mense Majo sequentis anni a Carolo confirmatas esse narrem. Carolus autem postquam Eduardum regem Angliae, ut solus bellum contra Ludovicum pergeret, commovere non potuit, pace facta inter Franciam ut Angliam, XIII. die septembris cum Ludovico pacem inierat in decem annos. Omnibus igitur consiliis, quae antea in animo habuerat omissis, nihil aliud egit, quam ut Lotharingiam Helvetiamque ulcisceretur. Quocum imperatorem prorsus consensisse ex eo intelligimus, quod post pacem publicatam civitates imperii Helvetiis auxilia mittere vetitae sunt[20].

[20]) Paul v. Stetten Geschichte von Augsbg. I, p. 215. — Neque res Colonienses per imperatorem ad certum finem perductae sunt; non prius enim quies in archiepiscopatum rediit, quam post mortem Ruperti.

VITA SCRIPTORIS.

Cottbusii natus sum Carolus Augustus Hermannus Markgraf patre Andrea et matre Guilielmina e gente Propstiana, quibus superstitibus pio animo laetor, anno hujus saeculi XXXVIII., die XXX. mensis Maji. Fidei evangelicae addictus sum. Litterarum elementis imbutus gymnasium frequentavi Cottbusiense. Ineunte anno LVII. maturitatis testimonio instructus almam Viadrinam adii studiis historicis operam daturus et per tres semestres scholis interfui virorum Braniss, Grünhagen, Haase, Junkmann, Karow, Roepell, Rossbach, Rueckert ibique socius fui seminarii historici, quod Roepellius optime de me meritus tunc moderabatur. Deinde Jenam migravi et viros Droysen, Fischer, Schleicher disserentes audivi, sed duobus semestribus post hanc academiam petii, ubi viros audivi Droysen, Ranke, Hirsch, Boeckh, Trendelenburg, Twesten. Quibus omnibus praeceptoribus meis ago gratias quam maximas, sed gratissima semper memoria prosequar Droysenium, qui insigni comitate permisit, ut et Jenae et Berolini per quinque semestres in societate historica essem.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Cominaeus minore fide dignus est, quam vulgo putatur.
2. Hegelius injuste judicat de legibus Atheniensibus a Solone datis. (Gesch. der Philos. I, 181).
3. Expeditio, quam Mauritius dux Saxoniae anno 1552 contra Carolum V. imperatorem suscepit, non potest excusari.
4. Documenta a Chmel in Monum. Habsb. 1, 1. p. 20 et p. 25. edita non in annum 1473. sed 1471 referenda sunt.
5. Concilium Constantiense ipsum reformationem ecclesiae impedivit, eo quod electionem Martini V. papae ante reformationem fieri constituit.
6. Recte Sybel dicit Germanorum rempublicam antiquo tempore non conditionibus agrariis sed gentibus aptatam fuisse.
7. Godofredus Hermannus non recte judicat in Aeschyli Eumenidibus Minervam antequam sortitus finitus sit, calculum in urnam conjicere.